Oecon.
1532 2

Ruffus

<36611626550016

Bayer. Staatsbibliothek

Oecon.
1532 3

JORDANI RUFFI

CALABRIENSIS

HIPPIATRIA

NUNC PRIMUM EDENTE

HIERONYMO MOLIN

FOROJULIENSI M. D.

ET IN GYMNASIO PATAVINO MEDICINAE VETERINARIAE

PROFESSORE

Dolcetti inc.

PATAVII

TYPIS SEMINARII PATAVINI

MDCCCXVIII.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

PRAEFATIO EDITORIS

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Opusculum de Hippiatria, quod nunc primum integre in lucem editur, conscripsit saeculo tertiodecimo Jordanus Ruffus. Auctor hic, cujus nomen cum aliis saepe nominibus quidam perperam confuderunt, eruditis ac rerum naturalium studiosis viris cognitus est, quippe qui omnium primus, resurgentibus litteris, hujusmodi argumenta pertractaverit. In eam itaque jure optimo spem adducor, ut haec Editio grata futura sit Italis non solum, verum etiam iis omnibus, qui naturali philosophiae ac rei veterinariae operam navant; praesertim si animadvertant quanto usui istud opus fuerit permultis Scriptoribus, qui doctrinis inde sumtis libros suos ditaverunt, quin tamen aut scirent, aut vellent fontem illum occultare, ex quo tot res tamque opportunae haustae sunt. Quamobrem hoc monumentum publica luce dignum doctissimi homines merito

judicarunt. » Quo magis optandum, ut Jordani liber » in lucem proferatur una cum simili, quem sub no- » mine Herodii laudat Matthaeus Sylvaticus in Pan- » dectis medicis etc. . . . . Nec enim dubi- » tari potest multa in illis libris tradita legi, quae » non solum ad veteres rei veterinariae Scriptores e- » mendandos atque illustrandos faciunt, sed rectius » etiam ex illis libris judicari posse puto de statu » litterarum saeculi tertii decimi, ex quo saeculo- » rum sequutorum doctrina omnis ita pendet, ut ubi » ad hos fontes accedere non licet, in plurimis histo- » riae litterariae partibus plane caecutiamus. Fabularum » etiam multarum originem certius tenebimus, quan- » do libros isto saeculo scriptos omnes accuratius co- » gnitos habebimus, quorum auctores huc usque ple- » rosque vix nomine tenus cognovimus (1)». Equidem fateor plurima in hoc opere nec nova, nec inaudita futura, ex eo nimirum quod multa multi sibi ab eodem vindicarunt; sed nec omnibus datur hujusmodi Scriptores in promtu habere, nec inutile est, imo vero utilissimum, puras ex ipso fonte doctrinas petere,

(1) Vide Prefat. Frid. II. Imp. de arte venandi a Jo. Gott. Schneider edit. pag. xv. Lipsiae 1788.

Auctor noster iisdem temporibus floruit, quibus Fridericus II Romanorum imperator, qui, ut ex historicis monumentis constat, ab anno MCCXII ad annum MCCL imperium tenuit. Princeps hic praeclarissimus, licet a quibusdam dubiae fidei Scriptoribus plurimorum scelerum ac vitiorum insimuletur, magnam certe famam apud posteros adeptus est tum quia litteras atque artes incredibili munificentia fovit, qua scholas ac gymnasia liberaliter instituens, qua doctissimos viros omnigenis cumulans beneficiis; tum quia ipse etiam haec eadem studia excoluit, in iisque tantum insumsit temporis, quantum ipsi ex acerrimis, quas cum summis Pontificibus habuit, contentionibus superfluit. Ad hujus igitur Imperatoris aulam Jordanus accitus est. Natus in Calabria equestri genere, amoenam pulcherrimamque indolem prae se tulit vel a puero. Praecipue vero ad equestria exercitia videbatur a natura factus, in quibus, progressu temporis, adeo profecit, ut in domandis ac regendis equis, in eorumque morbis mirabiliter curandis parem habuerit neminem. Ejus itaque fama longe lateque pervagata est, qua permotus Fridericus eum ad se arcessivit, equisque praefecit suis. Quo in munere tanta cum laude Jordanus se gessit, ut nihil supra dici pos-

sit. Utque publico inserviret commodo ea omnia collegit ac notavit, quae in equorum morbis et in variis eorumdem curandorum rationibus observaverat; quem librum *De medicina equorum* inscripsit. Haec habui ex Collectione clarissimi viri Angeli Calogerà (1). Utrum, nec ne, eques fuerit ac singulari dignitate fulgens, ambigitur, *et adhuc sub judice lis est*. Sunt qui putent verbum *miles*, habita ratione ad medii Ævi latinitatem, idem sonare atque *equitem* (2). Re quidem vera in italis versionibus, non ita pridem vulgatis, *strenuus* appellatur *eques, magnificus, dignissimus, honorandus*, et in gallica quadam versione docti Labbé dicitur *Chevalier*. At eruditus Zanon eum militiae adscriptum fuisse arbitratur (3), ac perillustris eq. Joseph Vernazza taurinensis, quocum colloquutus sum de latino Ruffi Codice, qui in regia suae

(1) Vide Opus, cui titulus: *Raccolta d' Opuscoli scientifici e filosofici Tom. XXVI.* Venezia 1742; qui ea hausit ex *Serie cronologica degli Scrittori nati nel regno di Napoli, di Gio: Bernardino Taffuri*.

(2) Vid. *Crescenzio Volgarizzato. Bologna* 1784. ad verbum *miles* Lib. IX. cap. CV. in adnotatione.

(3) *Saggio dell' arte veterinaria di Antonio Zanon ec. Venezia* 1770.

patriae Bibliotheca asservatur, quum mecum suas quasdam de Ruffo observationes perhumaniter communicaret, illud etiam adjecit in codice nescio quo itale manuscripto hoc verbum inveniri *cavaleri*, quod, si eum audis, idem sonat atque equorum ductorem et magistrum. Verum ego ita existimo: *militem in marestalla* (idest equile) ministrum illum significare, quem Latini *armigerum* dicebant, Itali nunc *scudiere* appellant; Ruffumque, quum regalibus stabulis praeesset, munere functum esse iis temporibus valde honorifico (1). Qnare non est cur dubitemus Jordanum equestri splendore praestitisse, praesertim quum et Imperatori familiarissimus fuerit, et dignus habitus, qui ipsius Friderici testamento nomen subscriberet: »Ego Jordanus, ma» gnus Justitiarius Ruffus de Calabria imperialis Mare» scallus major interfui his, et subscribi feci (2)». Quo in loco animadvertendum est verbum illud *magnus Justitiarius*, quo singularis dignitas indicatur: Cangius

(1) Vide *Joan. Jacob Mascov. de Orig. Offic. Aulic. S. R. I. Lipsiae* 1718.

(2) Vide Opus, cui nomen: *Vicende della coltura delle due Sicilie di Pietro Napoli Signorelli Tom. II. pag.* 258. *Nap.* 1784.

siquidem ita explicat: *Justitiarius, quasi capitalis a latere Regis trasmissus* (1).

Ruffum suam scripsisse operam demortuo jam Friderico nemini dubium est, quum id ex iis verbis apertissime pateat, quae in prooemio leguntur: *Miles et familiaris quondam F. Imp.* Non defuere qui hujusmodi opus ipsi tribuerint Imperatori (2); sed is nihil aliud contulit, nisi consilium et aliquod adjumentum, quemadmodum Jordanus idem sub exitu libri sui attestatur. » Ipse tamen Fridericus de ingenii sui perspicuitate, quae praecipue circa scientiam naturalem vigebat, librum composuit de natura et cura avium, in quo manifeste patet quantum ipse Imperator studiosus fuerit philosophiae ». *Anonymus seu Nicolaus de Jamsilla*, Rer. Italic. Script. Tom. VIII. pag. 496.

Cur vero huic aulico viro in mentem venerit hanc operam conscribere, difficile non est conjectura assequi. Id enim excogitasse arbitror, et ut suo cumulatissime satisfaceret officio, et ut ipsius etiam Imperatoris voluntati obsecundaret. Etenim Fridericus omnem

(1) Vid. Glossarium mediae et infimae latinitatis ad verbum *Justitiarius*.

(2) Storia civile del regno di Napoli di Pietro Giannone Lib. XXI. Cap. VI.

in eo curam posuerat, ut quodvis doctrinae genus ad summum perfectionis apicem in celebri illa salernitana schola eveheretur, quae nisi tota ex Arabia fuit, uti Scriptores quidam opinati sunt (1), certe ab Arabis suam habuit celebritatem; a quibus quum artes omnes scientiasque accepisset, curam etiam didicit bestiarum, quae arabice *albeitharia* dicebatur. Quum enim Arabes semper bellatores fuerint expertissimi, quumque rei militaris firmissimum in equis praesidium sit, ecquis dubitet eos populos artem domitandi medicandique utilissima haec animalia probe calluisse? Enimvero ab usque saeculo post Christum natum septimo, sive Ægirae primo, quo nempe tempore haec natio mirum quantum opibus ac viribus aucta est, de Hippiatris apud historicos mentio habetur: quorum quidem munus hoc unum fuit, equórum valetudinem in militaribus expeditionibus studiosissime curare (2). Quanta vero laude et admiratione digna est instituta illa apud Arabos equorum nobilitas, ut integra servetur venustiorum specierum pulcritudo, quarum num-

(1) Vid. Andres: *Dell' origine della Letteratura ec.*

(2) Sprengel, *Storia prammatica della Medicina. Versio italica Tom. III.*

quam interrupta genealogia ab annis ultra bis millibus originem repetit suam (1)? Quid? nonne multi ab Arabis libri hac de re scripti fuerunt? nonne multi etiam ex latino graecoque sermone ab iisdem versi sunt? Equidem quanto studio ac sollicitudine hanc Arabes scientiam excoluerint, unusquisque facile potest percipere, ubi ea perlegat, quae de hujusce nationis litteris atque artibus Casiri (2), Herbelot (3), De-Rossi (4) aliique magni nominis Scriptores memoriae tradiderunt posteritatis. Eruditus Signorelli, quem superius nominavimus, in eam et ipse opinionem descendit, ut existimet Salerni scholam haec praesertim studia ab Arabis accepisse. En ejus verba: » I me» dici di Salerno portarono molti libri arabici di me-

(1) Hallen *Histoire des animaux*. Hartmann *Traité des Haras*. Brugnone *Trattato delle razze*. Torino 1781.

(2) Bibliotheca arabico-hispanica escurialensis, opera et studio Michaelis Casiri: Matriti 1760 Tom. I. n. DXVI. *Philologi et miscellanei*, n. DCCCXXVI. *libri medici*, n. CMI. *ad Hist. natural. pertinentes*.

(3) Bibliothèq. des Ecriv. oriental. d'Herbelot ec. Maestricht. 1786 ad verbum *faras*.

(4) Dizionario storico degli autori arabi ec. Parma 1807 ad nomen *Abubecher Ben albeder*.

» dicina. Un libro attribuito a Ippocrate intorno ai » morbi dei cavalli era stato trasportato in arabo, e » un certo Mosè di Palermo lo tradusse in latino (1)». Hieronymus Tiraboschi id evenisse putat saeculo tertiodecimo; atque haec opinio firmis innititur fundamentis (2). Fridericum enim totum in eo fuisse scimus, ut graeci et arabici libri in latinum sermonem Salerni verterentur (3). Ex quibus pronum est intelli-

(1). Tom. II. p. 277.

(2) Storia della Letter. ital. Tom. IV. Lib. 3.

(3) Posset aliquis fortasse in suspicionem venire, hunc Hippocratem, quem et praeclarus Tiraboschi nominat, et Argellati in Opere, cui titulus: *Biblioteca de' volgarizzatori*, illum esse, cujus scripta apud Ruellium in ejus Collectione habentur (*medic. veterin. lib. duo*. Parisiis 1530); vel illum, qui ab erudito Valentini in lucem editus est. (*Hippocrat. Veterin.* etc. Romae 1814.) Verum e quodam italo codice, quem auctor nescio quis saeculi, uti videtur, quarti decimi supra latinam Moysi palermitani versionem scripsit, quique apud clarissimum equitem Jacobum Morelli exstat, et a me diligentissime lectus est, clare aperteque patet hunc Hippocratem diversum ab illis fuisse. Adde quod ex iisdem ejus scriptis intelligimus eum floruisse temporibus *Condisii Regis regum*, ac *sapientem Indiae medicum* fuisse. Cur vero ad rem veterinariam sese adjecerit, non alienum ab argumento existimo hic

gere filiam sinu suo eam artem fovisse, quam mater ipsa singulari amore prosequuta est. Profecto ubi praestantiorum e schola salernitana medicorum scripta prae manibus sumere velimus, multas (quemadmodum ab ipso Schneidero observatum est (1)) inveniemus morborum definitiones, quae ad veterinariam medici-

commemorare. Quum puer quidam, quem Condisius in deliciis habebat, graviter aegrotaret, Hippocratem rex arcessiit, ut suam diceret sententiam, et adolescentis valetudini consuleret. Experientissimus medicus postquam aegrotum, uti par erat, consideravit, fore pollicitus est ut convalesceret. Verum alter medicus, qui Hippocratis fuerat discipulus, quique morbum jam antea curaverat, magistri sui prognostica oppugnavit, affirmavitque fore ut in crastinum aeger diem obiret supremum; nec frustra. Clanculum enim infelici adolescenti venenum infudit, quo post pauculas horas efflavit animam. Ex quo scelere tantum Hippocrates dolorem cepit, ut jurejurando obfirmaverit se numquam in posterum medicinam hominibus facturum, utque exinde medicandorum equorum curam potius susceperit. Dicendum tamen est Hippocrati tolerantissimam illam patientiam defuisse, quae medicis adeo necessaria est. O fortunatas nimium belluas, si praestantiores probitate ac doctrina medici acceptas ab indoctis et sycophantis injurias pertaesi exemplum Hippocratis vellent imitari!

(1) Vid. Commentarios ad Vegetii Renati Mulomedicinae in Praef. Lipsiae 1797.

nam pertinent. Qua de re videre est opus Simeonis Januensis (1) ad verba *porus*, *ranulae* etc.; ac Matthaei Sylvatici in illis vocibus *marmora*, *siriasis*, etc.(2), qui auctores citantur etiam in opere Augustini Colombre scriptoris saeculi XV. Lib. III. Cap. XVI. et XXV. (3).

In dubium fortasse revocari posset utrum Jordanus latino an vero vulgari sermone scripserit librum suum. Revera haud levis ex eo oritur suspicio, quod manu scripta hujus operis exemplaria, de quibus in posterum mentio fiet, maxima ex parte vulgari dialecto exarata sunt. Verum pro certo habendum est eum lingua latina, etsi barbara et illorum temporum propria, scripsisse. Etenim Crescentius, agrariarum rerum scriptor, qui quinquaginta circiter annis Ruffo posterior fuit, ubi de equorum morbis egit, hunc ad verbum exscripsit; nec tamen amplius ambigitur Crescentium lingua latina in suo opere usum esse(4).

(1) Clavis sanationis.

(2) Pandectae medicinae.

(3) *Del modo di conoscere la natura de' cavalli, e le medicine appartenenti a loro*. ec. Venezia 1622.

(4) Trattato dell' Agricolt. di Pietro de' Crescenzj ec. Bo-

Praeterea Codex hic, quem publici juris facio, saeculo XIII absque ulla dubitatione tribuendus est; e contrario bononiensis scriptor opus edidit suum anno MCCCIII. Addunt ii, qui Ruffum vulgariter scripsisse putant, in bononiensi Editione anni MDLXI Typographum lectores in antecessum monere se Ruffi Codicem a M. Bartholomaeo Canobio accepisse, eumque voluisse eadem lingua typis mandare, qua scripserat ipse auctor. Hujusmodi assertio tanti non est, ut allata argumenta valeat infirmare. Pater Xaverius Bettinelli (1) arbitratur, Ruffum non latinam, sed siculam linguam adhibuisse: verumtamen haud scio cuinam tamdem haec opinio fundamento fulciatur. Fateor quidem me inter pulcherrima illa ac rarissima veterinariorum scriptorum monumenta, quae summo studio collegit doctissimus medicus mihique amicissimus doctor *Angelus Damiani* venetus e vivis hoc anno inopina morte sublatus, vidisse et evolvisse perdiligenter chartaceum quemdam saeculi quintidecimi codicem siculo sermone conscriptum, cujus initium hujusmodi

---

logna 1784. Osservaz. sopra lo scritto di Pietro Crescenzio pag. 25.

(1) Risorgim. d' Ital. P. II. Cap. V. pag. 50.

est » incipit liber Manescalchiae. Nui Messeri Jurda-
» nu Russu de Calabria volimo insignari achelli chi
» avinu a nutricari cavalli secundu chi avimu imparatu
» nela manestella de lu imperaturi Federicu chi a-
» vimu provatu e avimu complita qusta opira nelu nomu
» di deu, e di Santu Aloi (1)». Sed quamvis *Russu* pro *Ruffo* habeatur, eadem tamen hujusce operis dispositio est ac Manuscripti nostri; quare, licet quaedam addita fuerint Capitula, non opus aliquod diversum, sed simplex Ruffiani libri versio judicanda est. In libro, cui titulus *Memorie per servire alla storia letteraria di Sicilia* (2), mentio habetur de quodam artis veterinariae tractatu a Bartholomaeo Spadafora messanensi anno MCCCLXVIII elaborato sicula lingua; atque ita inscribitur: » Accumenza lu libru de

(1) Haec hujus Sancti invocatio est primum, ni fallor, documentum, quo probari potest, artem marescalli sub illius esse patronatu apud italos. Hic sanctissimus vir saeculo septimo vixit, primum aurifex fuit, deinde ecclesiastico ordini addictus renuntiatus est Episcopus Noviodunensis in Gallia; licet vero pictores illum veterinarii habitu saepissime repraesentent, tamen eumdem veterinariam medicinam exercuisse, nunquam satis esse demonstratum reor.

(2) Tom. I. Par. III.

» la maniscalchia di li cavalli di lu magnificu Misser » Juhanni de Cruyllis » . Methodus, ordo ac materies hujus operis ipsissima est, quae in libro Jordani invenitur; igitur hanc etiam nihil aliud, nisi quamdam versionem, reputamus . Enimvero suspicor praeclarum Bettinelli ab hujusmodi libris in errorem raptum esse; nisi forte ob id deceptus sit, quod in ipso Autographo quaedam occurrunt sicula, ut videntur, verba, cujusmodi sunt *infustito*, *aragiato* etc.

Quemadmodum, ut superius dixi, Opusculum hoc primum fuit, quod reviviscentibus artibus de equorum morbis pertractaverit, ita nemo non videt permultas fieri debuisse initio statim versiones, quum hic liber et ab omnibus jamdiu desideraretur, et iis praesertim inservire deberet, qui curam habent equorum, quique magna ex parte indocti ac rudes esse solent. Hanc igitur ob causam Jordani opus in varios ac diversos Italiae dialectos translatum est, eoque magis, quod haec natio tunc temporis linguam suam noviter natam informare coeperat, et in ordinem paulatim digerere. Nec solum in Italia, sed apud exteros etiam populos Ruffi liber aliis linguis redditus est; itaque affirmat pater Labbé in gallicum sermonem conversum fuisse hoc titulo : » Jourdain Ruf Chevalier,

» et Magistre de la Mareschaucie de l'Empereur de » la Mareschaucie des Cheveaux »(1): atque ipse Cangius idem innuit (2).

Exstant versiones quaedam typis editae, sed ad unum omnes plus minus inordinatae sunt, ut et ceterae erroribus scatent. Editio prima facta est Venetiis anno MCCCCXCII, VII Kalendas Januarii; quae versio scripta fuerat a Gabriele Bruno veneto, ex Ordine Minorum Observantium, viro ingenii pulcherrimi, et eloquentissimo oratore (3). Hic Ruffi librum comiti Joanni Brandolino cohortis praefecto apud venetam Rempublicam dedicaverat; sed Lazarus de Bartholomaeo Mazarelo mutinensis ei auctor fuit, ut eumdem librum in italum verteret sermonem. Haec versio lutulento stylo exarata est, et vulgaribus idiotismis plenissima. Capitula quaedam mutilata sunt ac manca, quaedam obscura et confusa, quaedam etiam prorsus omissa. Pollicetur, verbi causa, se quarto capite de strangullione (sive an-

(1) Nova Bibliotheca MS. librorum pag. 216.

(2) V. Index Auctorum ipsius Glossarii.

(3) Hanc ei laudem tribuit Superbi, *Trionfo glorioso d' eroi di Venezia*. V. Mazzuchelli *Dizionar. degli Illustri italiani*. V. Bruno.

gina) dicturum, quinto vero de vivulis, hoc est de parotidum tumoribus; at e contrario de vivulis loquitur capite quarto, de strangullione vero toto opere ne verbum quidem. Nec certe intelligi potest capitulum *de obliquis ungulis*, quod quum, totum quantum est, inconditum est atque improprium, tum praesertim ad calcem haec habet: »Per questo (interferitio) alguna » volta intraviene per debilità del piede alhora se li » dieba ungere col grasso di porco, e cossi se li subue- » ne». Si quis capitulum hoc sedulo et attente velit perlegere, facile percipiet auctorem eo in loco monere non ut equi ungulae inungantur, sed ut equus ipse, si fieri potest, lectissimo cibo pinguescat, sicque corroboratus ac vigens ea, de quibus loquitur, pericula possit vitare. Quod quidem clarius etiam constabit ex capitulo patris Theodorici, quod inferius in medium afferemus. Verumtamen venia aliqua huic interpreti habenda est, propterea quod legentes et ipse obsecrat, ut sibi benigne parcant, si quis forte versioni suae subrepserit error, vel si quid inconsiderate omissum sit.

Exstant et aliae duae saeculi XVI editiones et stylo et ordine valde inter se dissimiles, quarum prima facta est Bononiae anno MDLXI, altera vero Venetiis

anno MDLXIII. Bononiensis editio nomen Ruffi vertit in *Rusto*, et tributa est in capita CLXII, quae finem habent ad pagellam 80. Hinc octo sequuntur alius argumenti paginae, quibus hic praeponitur titulus: »Qui seguono alcuni altri secreti bellissimi havuti » da diversi esercitatisimi Mariscalchi, et d'altri au- » tori». Tandem ad paginam 89 incipit *il Trattato di Alberto Magno* de equorum cura.

In veneta editione ad folium secundum incipit: *L'arte de' Marescalchi composto per Messer Jordan Ruffo de Calabria dignissimo Cavaliere del Imparatore Federico secondo chiamato Barbarossa* (ita nempe legitur; atque in hunc errorem lapsus erat et Brunus) *dedicata et mandata da esso imperatore, dal quale per pubblica esperientia verissima fu approvata*.

Opus hoc divisum est in capita LXI, et explicit ad pag. 82, cui aliae succedunt quatuor paginae, in quibus quidam legitur Prologus, hoc est sub hoc nomine Epistola illa, qua Brunus commemoratam editionem Brandolino dedicavit, atque etiam *Sonetus Gabrielis Bruni veneti*, hoc est barbarum ac strigosissimum epigramma e quatuordecim italis versibus sane miseris coagmentatum. Atque haec omnia

in ea, quam nominavimus, anni MCDXCII editione inveniuntur, unde judicare possumus ex hac commemoratam venetam editionem desumtam esse additis praeterea haud paucis erroribus. Ceterum non adeo inextricabilis est, ut illa bononiensis an. MDLXI, quae vel exercitatissimam patientiam abrumperet. Exemplo duntaxat sit haec paginae decimae tertiae periodus: *Allhora quelle vesiche si cuoccano con ferri rotondi et caldi . . . . . la vena magra del petto*. In ea lacuna, quae punctis signata est, duobus tantummodo verbis locus erat, ac licet mutilatum et inextricabile fuerit manuscriptum, vel inexpertus typorum emendator debuisset verosimile aliquid substituere. Quae verba desunt in hac editione, inveniuntur in illa anni MDLXIII, videlicet in primis *cossendo*, quod sibi vult *cuocendo*. Quod vero illud *vena magra*, in eadem editione habetur *vena magistra*.

Praeter hanc editionem alia etiam saeculi XV nominatur a Denis et Panzer qui ambo eam repetunt ab anno MCCCCLXXXVII. Quae quidem a me silentio omittitur, neque enim usquam illam potui invenire, habeoque suspicionem laudatos scriptores erravisse, quemadmodum editio anni MDLXIII sub alio

titulo in bibliotheca clarissimorum Cinelli et Sancassani reperitur.

Permultae quidem quum in publicis tum privatis bibliothecis exstant versiones (1), sed immixta propemodum in omnibus superstitiosa monita occurrunt, ac ridicula deliramenta unusquisque veterinarius modo e penu suo, modo ex alieno per fas nefasque addidit aliquid; praeterquamquod librariorum incuria et ignorantia in ipsum operis contextu irrepsit, quod in marginibus scriptum fuerat vel ad interpretationem et expositionem vel ad memoriam, imo etiam saepenumero librarii ipsi ausi sunt autographum interpolare, ejusque etiam immutare sensa atque ordinem invertere. Exemplo sit locus ille, quo auctor noster proponit: *Regulas cognitionum omnium equorum* p. 113. Affert itaque observationem, quam deinde celeberrimus

(1) In Catalogo Manuscriptorum publicae Taurinensis bibliothecae ann. 1749 mentio fit itali cujusdam Codicis, qui in ea asservatur. Abbas Morelli in bibliotheca Farsetti Venetiis 1771 duas commemorat manuscriptas itala lingua versiones. Itidem in Leopoldina Florentiae bibliotheca an. 1792, quam publici juris fecit Bandinus, versiones tres manu scriptae nominantur. Tamdem alia itala versio habetur in bibl. Riecardiana, uti constat ex Lamii Catalogo.

Daubenton (1) oculorum errorem esse demonstravit, quod videlicet *equus habens pares balzanas et non impares non de facili gratiosus exsistit*. Quid versio anni MDLXI? *Il cavallo, che ha le balzanature pari, è non dispari, si come nè più, et non sarà grasso*. Ecquis est, qui intelligat quid sibi velint haec verba (2)?

In tanta rerum ambage atque confusione latini Codices, ac prima exemplaria saepe inquisita sunt, licet haec etiam erroribus ac mendis carere non possint. Horum Codicum unus exstabat apud coenobium S. Joannis de Carbonara, qui fuerat primum bibliothecae Tuanae, deinde Cardinalis Seripandi; alius vero saeculi quintidecimi ad Pinellianam bibliothecam

(1) Description du cheval, Tom. IV. pag. 277. 78. Paris 1753 articl. *balzanes*.

(2) Rusius (Hippiatria etc. Lutetiae 1532) quemadmodum ostendam, Ruffi opus explicavit, erravitque ipse etiam ubi de hac observatione, sive errore oculorum locutus est. Ait enim capite VII. *Equus habens pares balsas natura, et non impares, ut de pluribus non facile erit grossus*. Gallica autem versio anni 1610 haec habet: *Le cheval que de nature a les balsanes pareilles et de méme hauteur et longueur n'engrossira facilement*.

pertinebat: ambo in Angliam delati jam sunt. Suum etiam hujusce operis habet exemplar bibliotheca Lutetiae Parisiorum, quod commemorat etiam Hieronymus Tiraboschi, tribuitque saeculo XV; suum habet bibliotheca Leopoldina Florentiae, quemadmodum intelligere est ab illustri Bandini; suum quoque habet bibliotheca romanae Universitatis (1); suum tandem bibliotheca Taurinensis saeculo XIV, uti apparet, conscriptum, in quo tamen multa addita sunt, quae ad auctorem videntur minime pertinere. Atque hoc exemplar notum prae ceteris apud exteros est: quare professor nescio quis Francofurtianae Universitatis, vir certe magni nominis, optaverat, ut sibi transcriberetur, quod ut fieret, Carolus Denina, qui tunc in Prussia degebat, per litteras petiit. Impositum hoc onus est Josepho Mariae Pezzati ab Ivrea, qui opus reliquit infectum, propterea quod tot inenodabiles errores pertaesus animum despondit, veritusque est, ne si tam mendosa transcriberet, id sibi vitio et incuriae tribueretur. Ipse etiam celeberrimus Schneider hujus operis exemplar a doctissimo professore Brugnone expostulaverat; atque hic quidem pollicitus fuerat; sed

(1) Metaxà, *delle malattie contagiose* ec. Roma 1816.

promisso non stetit (1). Profecto autographum viri rei veterinariae ac chirurgiae peritissimi magno in pretio fuisset habendum. Ipse etiam Huzard, celeberrimus Lutetiae Parisiorum veterinarius, nationalis Instituti socius, nec non ex consilio publicae salubritatis ac medicae Parisiorum facultatis etc. quum mense Junio ann. MDCCCVII Augustae Taurinorum esset, hunc Codicem exscribendum curaverat, sed postea, credo, de proposito decessit. Tamdem Venetiis duo hujusce operis servabantur exemplaria, alterum quidem apud Grimanos S. Pauli, alterum vero in bibliotheca s. Marci. Horum duorum Codicum primus, membranaceus, pulcherrimus, optimaque conditione servatus in manus pervenit Caroli Salvi bibliopolae Mediolanensis, qui mense Augusto anni MCCCVII eum venum tradidit in supplemento Catalogi suorùm librorum. Licet in hoc auctoris nomen non memoretur, dubitari tamen non potest quin ad Ruffum pertineat: ceterum multa in eo capita praetermissa sunt, multa etiam aliqua ex parte immutata. Secundus vero (quem nunc typis subjicio) in illam bibliothecam

(1) Vid. *Comment. ad Vegetii Renati mulomedicinae libros sex*. Praef. pag. 20 Lipsiae 1797.

cum aliis pretiosissimis Codicibus translatus est ex testamento Jacobi Nani patritii veneti, qui eumdem emerat ab heredibus Antonii Cocchi medici Florentiae celebratissimi. Perillustris abbas Morelli loquitur de hoc opere in suo libro, cui titulus: *Codices manuscripti latini bibliothecae Nanianae Venet.* 1776, ad numerum LXV; atque hunc etiam commemorat eruditissimus Tiraboschi. Cujusmodi vero sit, breviter exponam.

Forma ejus talis est, ut ex uno folio octo habeantur chartae; hae pergamenae sunt, singulaeque in duas columnas tributae; characteres partim rubri, partim nigri; paginae triginta et una. Eques Morelli eum esse putat saeculi XIII, quo nempe ipse auctor floruit. Videre clarissime est fuisse ab alia quavis manu emendatum; non ideo tamen erroribus omnino caret. Quum vero librarius variantem lectionem hic afferat, duos saltem codices manuscriptos, dum scriberet, ante oculos ille habuisse videtur, ut adnotatum fuit ad capitulum 12 pag. 41. Ad capitulum 33, ubi agitur *De laesionibus crurium et ungularum,* dicendum est, amanuensem duas chartas inconsiderate praeteriisse. Etenim ex improviso praecepta traduntur *de remedio de extortilliatura,* ac dein-

de hoc cernitur signum +, quod de admisso errore Lectores admonet, eosque ad calcem operis remittit: quo loco praetermissa capitula alia manu conscripta leguntur. Atque in hac emendatione quasdam amanuensis reliquit lacunas (pag. 76 lin. 12, 13, pag. 80 lin. 6), quas ego adimplere conatus sum, qua venetum Codicem consulens, qui mihi evolvendus perbenigne traditus fuerat, qua opportunioribus utens versionibus, qua denique consilio fretus doctissimi et humanissimi viri Jacobi Morelli. Praeterea hisce auxiliis quaedam emendavi, quae involuta et inextricabilia mihi visa sunt: verumtamen in adnotationibus ea, quae immutata sunt, qualia prius fuerant, indicabo, ne critici mihi succenseant, perinde ac si autographum adulterare voluerim. Ad capitul. *de dolore ex indebita retentione urinae*, pag. 36, ignoramus omnino, quidnam remedii sit illud, quod auctor indicavit verbo *circa* post *accipiantur sanationes*. In Crescentii editione Basileensi ann. 1548 legitur *cartamo*. Nos vero praetulimus *curtana* pro *circa* quod in MS. legebatur; hanc tamen lectionem sequuti sumus non sine aliqua errandi trepidatione, sed ea tantum de causa, quod eam vidimus in Crescentii versione bononiensi jam citata, sententiam autem am-

plectimur illius interpretis, qui *nella dichiarazione di alcuni nomi di piante e d'altre voci* ec. pag. XXXII, putat legendum *cretano*, ita enim scribitur a patre Theodorico, qui haec habet: *Recipe senationes cretan.*, h. e. *cretanum*, *parietariam* etc. Capitulorum dispositio ac numeratio ea erit, quae in ipso Codice manuscripto, missis tamen iis omnibus, quae toto operis decursu leguntur. Ad calcem ejusdem Codicis tria habentur aliena manu medica praescripta, quae ad auctorem minime pertinere arbitratus sum, tum quia inepta sunt ac nugatoria, tum quia ea in manu scriptis versionibus ac codicibus nusquam inveni. Ex his praescriptionibus duae *contra fistulam* sunt, tertia vero *ad dolorem renum*, de quibus quidem morbis auctor noster in suo Opusculo fuerat jam locutus. Dubius haeseram, num, ut ibidem adnotavi, illud additamentum capituli de infustito, *ad impinguandum equum*, ab ipso auctore proveniret, quum substantiae animales, h. e. jus testudinis, herbivoro animanti praeberi jubeantur. Notum jam est quantum homines excitet et nutriat jus reptilium, quamque conveniat nervorum ac virium extenuationi: vereor tamen, ne equo itidem conveniat, quum ceteroquin opportunis caream observationibus, quumque

sapientissimum illud Hippocratis monitum mihi praesto sit. *Differt natura a natura, corpus a corpore, nutrimentum a nutrimento; non enim omni animantium generi eadem aut conferunt, aut commoda sunt, sed sunt alia alii convenientia.* Hippocr. lib. de Flatibus. Hi etiam sub finem occurrunt Leonini versus (quod poeseos genus et summo studio a salernitana schola excultum est, et ab ea etiam inventum creditur (1)) quos ego, quo loco in Codice sunt, ponere nolui, sed tamen eosdem hic in medium affero, ne fraudentur qui harum rerum appetentissimi sunt:

»Haec egit immensis studiis miles Calabrensis
»Qui bene cunctorum sciverat medicinas equorum:
»Discat quisque legens: patet haec tibi pagina praesens:
»Quod juvat atque nocet sic equo cuncta docet.

Atque hoc quidem opus omni prorsus admiratione dignum est, ubi ad ea tempora, quibus scriptum fuit, ratio habeatur: etenim *erant litterati pau-*

(1) Joannes Mediolanensis e Sch. Saler. Vid. Andres *dell' Origine* etc.

ci vel nulli (1). Graeca fragmenta et Compendium Mulomedicinae Vegetii videntur auctori nostro ignota fuisse; nisi forte dicere velimus iis documentis uti noluisse (2). Primus ipse est, qui de equorum ungulis ferro armandis clare distincteque loquatur (3), quae ars utrum, nec ne, Graecis Romanisque cognita fuerit, incertum est. Affirmat perillustris Bourgelat, et argumenta magno studio hinc et illinc colligit; sed pernegat Brugnone, observatque Ruffum nostrum hac de re praecise apertissimeque dicere, ceteros vero Scriptores, qui antea floruerunt, atque ipsum Vegetium, latinosque poetas omnes (nisi forte velimus eos ad arbitrium interpretari) hujusmodi argumentum silentio praeterire (4).

(1) Vid. Anonymum sive Nicolaum de Jamsilla Rer. Ital. Scr. Tom. VIII pag. 495.

(2) Licet noster Auctor de quibusdam morbis, Hippiatris graecis et Vegetio cognitis, hoc in opere agat, non ideo tamen ex illis fontibus suam de iisdem doctrinam hausisse putandus est, quum ille alio pacto eosdem curandos esse affirmet.

(3) Vid. Brugnone *Trattato delle razze*. Torino 1781.

(4) Ipsum illud verbum *praeparare*, quo marescalli actio significatur ungulam *incastro* secandi, et soleam attenuandi,

De morbis ac laesionibus, quae ab eventu aliquo vel ab eorum imperitia, qui equorum ungulas muniunt, proficiscuntur, tam belle ac penite agit Rufus, ut nostris etiam temporibus ab ejus praeceptis nefas esset abscedere. Optima etiam ac veterinariis perutilia sunt ea monita, quae ipse tradit, ut ii dignoscantur artus, qui maxime laborant, ac membra, quae motui inserviunt; nec inepta sunt paucula illa aphorismata, quibus potest unusquisque de vita aut morte equorum vero similia instituere prognostica; et illa documenta, quae eorumdem animantium indolem naturamque denuntiant. Qui quidem cognitionum apparatus ejus solummodo esse potest, qui et artis peritissimus est, et naturam sedulo inquisivit, et membrorum formam compositionemque perspecte consideravit: ad quem profecto auctorem reapse illud pertinet: *Frequentissime speculari convenit habitum jumentorum, nam diligentibus morbus ipse se prodit* (1). Ecquis vero Ruffo nostro in condocefaciendis equis cautior ac prudentior, praesertim quum (*de domatione equi*) ostendit amantissimum hoc animal blan-

quo facilius pes equi calceari possit, rem magis magisque confirmat.

(1) Veget. in Praefat. lib. 1.

dis ac suavibus modis corrigendum esse atque vincendum? Ut pullus ferreis soleis assuescat, magistrum admonet, ut saepe a primis mensibus ejus sublevet pedes, et identidem pulset. Equo ad stabulum revertenti madidis cruribus, jubet haec siccari, ne forte tumescant. Hordeum vel quodvis aliud grani genus, antequam exhibeatur, diligenter cribretur; posset enim tussim excitare. Ubi defessus sudatusque equus est, nec edat, nec bibat, sed quoquo modo coopertus aliquantisper manu ducatur, donec cesset sudor ac dispareat. Qua quidem diligentia quum per hosce annos Itali nostri uti vidisserit plerosque a Germania milites, Germanis utilissimam hanc consuetudinem perperam tribuerunt inventam. Nec mirum. Eo enim devenimus, ut vel in rebus majoris momenti degeneres Itali suos negligant ac floccifaciant, exteros vero auctores venerentur habeantque in deliciis, a quibus decepti ea tamquam nova et ante hos dies inaudita accipiunt, quae a majoribus nostris jamdiu et dicta et facta fuere. Rerum pulcriorum inventores ac magistri ab Italia profecti sunt, quae videlicet, ut ait Bourgelat, est *la mère et la maitresse des sciences* (1).

(1) Elémens d' Hippiatriq. Tom. II. Lion 1755. Discours préliminaire.

Auctor noster morbum in primis describit; numerat deinde causas, unde originem potuit habere; tum ad indicandam curam gradum facit, promovetque aliquando (ut in Gallis cap. 39) quaedam dubia, et jactatas illas curationes confutat, quae ejus praeceptis doctrinisque contrariae videntur. Haec quidem methodus et pulcherrima est, et omni laude dignissima, et rectum auctoris judicium, singularemque ipsius scientiam atque experientiam declarat. Quorumdam etiam morborum originem atque etymologiam Jordanus explicat; quod, habita ad id temporis ratione, singulare est, et valde mirabile. Fateor equidem auctorem nostrum haud multam promereri adprobationem ubi docet, quibus modis varii ac multiplices morbi debellandi sint; sed haec (doctorum medicorum eruditionem testor) illorum temporum, non vero hujusce Scriptoris, culpa est. In quibusdam casibus, uti in cancro et in fistula, aut timidissimus esse, aut sectoris ferri usum ignorare videtur; quandoquidem ea, quae proponit, varii generis caustica vel inutilia prorsus sunt, vel saltem lentissima. Ceterum indubitanter docet absque consumtione, aut rosione materiae, aut vulneris amplificatione curam quamlibet supervacaneam esse: ex quo prudens medicus utilitatem

intelliget cultelli, dummodo partes cognoscat, in quas adhibendum est. Quam quidem cognitionem ac diligentiam necessariam esse in ipso causticorum usu, praesertim ubi ille de cancro agit, auctor noster admonet, quum illis temporibus exiguos jam fecisset progressus anatomia. Nec prorsus ineptum videri debet remedium, quod ad colicos e flatu dolores sedandos praescribit (ut in cap. 7 de dolore ex ventositate p.33). Jubet enim *cannellum* per rectum intestinum immitti, ut retentus inclususque intus egrediatur aer; nec, ut verum fatear, considerat nullo modo fieri posse, ut cannula illa ad sedem perveniat, et saepius evenire, ut aliquantum novi aeris per illam introducatur. Sed tamen, generatim et universe loquendo, auctoris doctrina in eo sita est, ut inclusus excludatur aer. Nostris igitur temporibus, quibus physica ac chymia tantum medicinae attulerunt lucis, cognita jam occlusi gas indole, ad aeris densationem recurremus, utemurque iis remediis, quae per artem intromissa vel chymice cum aere sese componant, vel remissis intestinalium tonacarum fibris aerem ipsum liberent.

Liceat mihi breviter simpliciterque quaedam exponere, quae ad veterinariam eorum temporum litteraturam pertinent, ut possit unusquisque de auctoribus

judicare, quos primis illis saeculis in hac arte jactavit Italia, utque intelligatur ab hujusmodi quasi seminibus tum errores, tum optima hujus artis documenta omnia originem habuisse.

Regnante Neapoli Carolo ab Anjou (nempe ab anno MCCLXVI ad annum MCCLXXXV) alius etiam floruit calabrensis scriptor, Ruffo coaevus, nomine Bonifacius, qui de equis eorumque curandis morbis librum composuit, et a rege suo in magno honore habitus fuit, praemiisque cumulatus amplissimis. Manuscriptum hujus operis exemplar exstat in bibliotheca regis Bavariae, quod doctissimus Maillot de la Treile ejusdem bibliothecae praefectus consulendum misit ad eruditum Eustachium Afflitto (1). Continet hoc novem ac centum pergamenas chartas, divisumque est in libros duos; quorum primus, qui constat ex octoginta ac centum capitibus, et explicit ad folium quinquagesimum primum, agit de natura ac proprietatibus equi, de ejus morbis, morborumque remediis, deque variis, quos equus habet, et opportunissimis usibus: alter vero incipit ad folium sexagesimum, ac licet

(1) Vide ejus Memorias: *Degli Scrittori del regno di Napoli*. Tom. II. pag. 158.

italo sermone conscriptus sit, hunc tamen habet titulum latinum: *Adsit principio Virgo Maria meo. Incipit liberalius tractatus de morbis naturalibus et accidentalibus ac signis et curis equorum. Incipit Capitulus primus primi libri Ypocratis et Damasceni* (1). *Quando il cavallo ha la febbre* ec. Ea, quae indicantur remedia, uti narrat pater Afflitto, futilia magna ex parte sunt, et astrologiae judiciariae necromantiaeque innixa. Hinc nescio quod praemittitur Calendarium, quo dies fausti infaustive signantur ad remedia adhibenda, ad chirurgicas operationes, ad aliaque his consimilia.

Hujusmodi nugas atque ineptias, ne dicam verissimas fraudes, vidi etiam in quibusdam manu scriptis artis veterinariae codicibus saeculi XIV ac XV (2),

(1) Joannes sive Janus Damascenus, medicus celebris, syrus, christianus, a Jo. Damasceno longe diversus, anno Ch. 845 circiter interpretationem librorum graecorum in linguam arabicam jussu Caliphae Raschie factam curavit. Idem scripsisse dicitur varia ad artem medicam pertinentia, quae latine prodierunt. Hic auctor quoque laudatur ab Augustino Colombre in ejus opere superius citato lib. II. Cap. 5. *De contagiosis morbis*.

(2) Ex his nonnullae legi possunt, *nelle Regole di caval-*

quas quidem optabiles medicinae progressus retardasse ecquis non videat? Ipsa etiam agricultura, rei veterinariae socia ac mater, noluit quondam, ex consilio Ascraei Hesiodi (1), quasdam exerceri operas certis diebus et horis, ut propterea dici fortasse possit ex ipso naturae ordine in cujusvis scientiae primordiis meras futilitates justis ac solidis notionibus antecedere. Bonifacius suum scripsit opus graeca lingua, quod deinde in italum sermonem conversum est a quodam *Fratre Antonio:* nec quispiam mirari debet hunc autorem graece scripsisse, propterea quod illis temporibus quatuor illic linguae promiscue vigebant, graeca scilicet, saracena, latina atque normanna (2).

Per hosce annos quidam Jacobus Doria genuensis quinquaginta novem collegit veterinariae medicinae praescripta, iisque hunc dedit titulum: *Practica equorum Jacobi Auriae:* quod quidem manu scriptum opus commemorat praeclarissimus vir Jacobus Mo-

care di D. Giuseppe d' Alessandro duca di Peschiolanciano lib V. Napoli 1723, quo indicat dies decretorios et ad phlebotomandum idoneos.

(1) Opera et dies.

(2) Vide Opus, cui titulus: *Vicende della coltura nelle due Sicilie* ec. di Pietro Napoli Signorelli Tom. II. c. 187.

relli in suo libro *Codices manuscripti bibliothecae Nanianae* Venetiis 1776, asservaturque nunc etiam in bibliotheca divi Marci. Atque idem pereruditus Morelli arbitratur hunc auctorem illum ipsum esse, de quo mentionem facit Ludovicus Muratori, quemque et ad saeculum XIII refert, et clarissimum suae patriae lumen appellat (1). Hujusmodi praescripta, latino sermone posteris tradita, maxima ex parte frivola sunt, ridiculosa, superstitionis plenissima. Ad vermis (farcini) remedium quatuor proponit: Missae scilicet celebrationem ac tres diversas preces, quibus auxilium imploratur Jobi, propterea quod (uti ipse Jacobus ait) patientissimus hic vir a principio verme laboravit. Si timidus sit equus, ter admonet recitandum esse *alleluja*, hisque similia dicenda, si frenum detrectet, si doloribus crucietur etc. Quod si *pulmunculo* afflictetur (quod vulnus dorsum afficit, cuique ii praesertim equi obnoxii sunt, quibus sella male accommodari solet) *incide*, inquit, *nervos de naso, et sanabitur*. Quaedam etiam adhibenda esse docet incantamenta et magica verba ac signa. Quamquam primus ne, aut unicus auctor hic est, qui ta-

(1) Script. Rer. Ital. Tom. VI. pag. 549, 571.

libus ineptiis tibi risum excutiat? Cui Catonis inaudita est futilis credulitas, qui, ad animalium confracta luxataque membra restauranda, auctor est ut quaedam adhibeantur inexplicabiles ac barbarae voces (1)? Operae pretium est majorum nostrorum futilitates erroresque cognoscere, ut, si forte his similia nobis occurrant, mirari desinamus, utque vel ex hoc intelligamus quanta sit humanae mentis infirmitas, quantumque indigeat assiduo studio ac solida ratiocinatione. Ceterum hic auctor non semper ita frivolus est: etenim, exempli causa, pro quibusdam corporis tumoribus, duritiisque crurum, atque similibus morbis, emplastra indicat ex euphorbio aliisque causticis composita, quae profecto vesicatoria non inutilia nunc etiam reputantur.

Nec silentio praetereundus hoc saeculo est pater Theodoricus e Praedicatoribus Cerviae Episcopus (2), qui quum filius esset cujusdam medici, qui artem suam Bononiae profitebatur, duos scripsit libros, de chirurgia unum, alterum vero de re veterinaria (3). Hisce

(1) De re rustica Cap. CLXI.

(2) Theodoricus Lucae ortum habuit, ac sex annos natus Bononiam ductus est.

(4) Opusculum etiam composuit *De cura accipitrum*.

enim temporibus scimus monachos ac coenobiorum incolas (1) ad hujusmodi studia sese applicuisse, quibus et honores assequebantur, et emolumenta plurima; quemadmodum Theodorico nostro evenit, qui chirurgicam simul ac veterinariam artem exercuit (2). Ipsius liber de re veterinaria exstat adhuc manu scriptus (3), ejusque exemplar cerni potest inter codices bibliothecae Barberinae, quod initium sumit ab his verbis: *Incipit mulomedicina ex dictis medicorum mulomedicorum sapientum compilata a ven. pat. Theodorico Ordinis Praedicatorum Episcopo cerviensi*. Aliud etiam exemplar habet bibliotheca S. Marci Venetiis, quod nominatur inter Nanianos codices a laudato equite Morelli ad numerum LXVI, quodque titulo multum differt a Barberino. Etenim sic inscribitur: *Practica equorum composita a fratre Theodorico de Ordine fratrum Praedicatorum, phisico et Episcopo cerviensi*. Verumtamen primi codicis

(1) Vid. Frank *Orat. de Sacerd. med.*, ac Sprengel *Hist. med.*

(2) Vid. Sarti in suo Opere: *Dei Professori del Ginnasio bolognese* in vita Theodorici e Cervia.

(3) Uterque liber in Castiliensem linguam translatus est, uti demonstrat ipse *Sarti*.

titulus melius veritati convenit, propterea quod Theodoricus nihil prorsus contulit de suo, sed pulcriora et utiliora ex iis selegit ac compilavit, quae Ruffus, Vegetius, graecique scriptores posteritati tradiderunt (1). Ejus praefatio eadem omnino est atque illa Vegetii ad literam exscripta: *Mulomedicina apud Graecos* etc. Juxta finem, suum proponit septem distinctis capitibus pertractandum argumentum, quae titulis ac verbis sunt ipsissima Ruffi, uno excepto *De conservatione sanitatis*, cui praecedit illud *De cognitione pulcritudinis*, subsequiturque aliud *De infirmitatibus*. Sed caput *De conservatione sanitatis* est idem illud Vegetii: *Quae adhibenda est diligentia, ut animalia sana perdurent* (2). Ejusdem itidem Vegetii sunt articuli *De animalibus macie extenuatis, contra frigiditatem, contra extenuationem, de crinibus et cirris*, nec non variae potiones ac dia-

(1) Sunt qui putent opus Vegetii, ubi de equo agitur, nihil aliud esse nisi quamdam e graecis scriptoribus versionem. Vid. *Instructions et observations sur l'art vétérinaire an.* 1790. Huzard in *Analyse de la médecine vétérinaire par Mr. Vitet.* Schneider *in Comment. ad Veget.* pag. 17. Sprengel op. cit. Tom. III. pag. 405.

(2) **Lib. I. Cap. LVI.**

pente (1). Praeterea juxta finem secundae particulae (in tres enim particulas totum opus tributum est) Theodoricus incipit: *Si liber, cui imponendus est finis* etc.; quae verba leguntur etiam sub exitu libri primi Vegetii. Ubi vero agit de physionomia, ea, quae affert, indicia excerpta magna ex parte sunt e *regulis cognitionum equorum* ejusdem Ruffi, cujus doctrinis in descriptione ac cura morborum maximopere usus est. Imo vero ex ipso Doria remedium exscripsit contra scabiem (2). Tali pacto opus coagmentavit suum: ceterum est etiam aliquid novi; est quaedam non antea audita morborum distinctio. Inter eos morbos (ut afferam exemplum) quibus afficitur os, palatinum distinguit a lampasco, aliud etiam commemorat, qui sub forma mollium vesicularum oritur circa labiorum commissuras, juxta dentes molares, quique ab eo *Floncellae* appellatur. Morbus vermis, a Vegetio nuncupatus *Farciminosus morbus*, a Theodorico dicitur etiam *Farcina;* quod nomen acceptum est a Gallis

(1) Veget. lib. II. Cap. LXIV.

(2) Cap. XXXIV Contra scabiem et dulcedinem et pruritum et similibus, quod probavit Dominus Jacobus Auriae in equo habente dulcedinem».

Farcin. Sub paenae nomine n.° 55. Part. II describit *chiovartum* equorum, paronychii nempe seu furunculi genus, quod ungulae innascitur inflammatione et suppuratione foetida, cujus pus postremis hisce temporibus hominum *vaccinationi* locum dedit. N.° autem 56 ita describit mulas. *Cap. LVI De mulis*. Mu-
» lae nascuntur ex frigore, quando equus tempore
» frigoris per viam lutosam incedit, et de nocte; et
» postea pedibus madidis et lutosis ducitur ad prae-
» sepe. Statque de nocte super terram nudam cum
» nullo vel modico stramine; tunc humores propter
» laborem, quum calefit corpus, ad pedes posteriores
» descendunt, et congelati tumorem faciunt. Sicque
» crura ultra genua inflantur. In hyeme autem ac-
» cidunt et in vere. Aestate et autumno sine inflatio-
» ne latent, nisi sint valde antiquae. Illis vero tem-
» poribus sic cognosces: pili qui sunt inter ungulam
» et juncturam proximam, quem locum quidam pa-
» sturam vocant, semper stant elevati sursum, quam-
» vis madidi sint, quasi sint setae porcorum. Cura.
» Recipe etc.».

Ut vero cognoscere possimus quaenam per id temporis ars esset calceandorum equorum, quidque hac in re et sciret et opinaretur Theodoricus, opportn-

num judico afferre caput XVI particulae primae, quod agit de *tortura pedum*.

Ex hoc enim viri scientiae veterinariae periti non solum apprime intelligent Theodoricum Ruffo eruditiorem hac in re fuisse, verum etiam fatebuntur pristina illa praecepta cum iis omnino convenire, quae nostris etiam temporibus a doctissimis hujusce artis magistris traduntur (1). En igitur ipsissima verba: » Si quis » habuerit pedem tortum, para pedem tortum subtus » aequaliter ita quod ferrum super pedem bene com- » planetur; et ab illa parte, in qua magis calcat, po- » ne quatuor clavos in ferro, ab alia parte pone tres » tantum minus fortes. Interferitura facit frequenter » equum claudicare, et gressus illi impedit. Ideoque » equo quum ambulat, stricte fac ferros altos intus, et » bassos extra. Et si ambulat large nimis, fac fer- » ros altos extra, et bassos intra. Si equus in poste- » rioribus pedibus se interferit, de ungula multo ma- » gis extra pedem, quam intra tollatur. Et calcaneus » ferri extra pedem penitus auferatur. Quidam inter » calcaneum ferri, quod est extra pedem, anulum fer-

(1) Vid. *Trattato delle razze de' cavalli di Gianni Brugnone* ec. Torino 1781 pag. 363.

» ri ponunt. Interdum equus propter nimiam maciem » se interferit, cui impinguando equum subvenitur ».

Ex iis, quae in medium attulimus, pronum est intelligere, auctorem hunc Ruffo coaequalem (talis siquidem videtur, propterea quod mortuus est anno MCCXCVIII, aetatis vero suae XCIII) prae manibus habuisse Vegetii opus, quod quidem, uti superius nos suspicari diximus, aut non cognovit Ruffus, aut certe noluit adhibere.

Hisce scriptoribus coaevus fuit Petrus Crescentius e Bononia, vir illis temporibus doctrina ac multiplici eruditione praestans, qui civilibus exagitatus procellis patriam deseruit suam, ac per triginta annos modo has, modo illas invisit celebriores Italiae urbes, vitamque duxit peregrinabundam. Is annos natus septuaginta opus scripsit latino sermone de agricultura, quod an. MCCCIII Carolo II inauguravit, quo familiariter utebatur. Nono hujusce operis libro de cura agit animantium, atque in eo, quod ad equum pertinet, Jordano Ruffo adhaeret, sed adeo serviliter, ut eumdem referat ordinem, ac, paene dixerim, eadem verba. Cangius, ni fallor, primus fuit, qui hanc novit expilationem (1).

(1) Vid. Glossar. med. et infim. Latinit. ad verbum *Gal-*

Nihil dico de opere, quod tribuunt nonnulli Alberto Grooss (Magno), doctissimo Germaniae viro, quodque, ut alias diximus, Bononiae anno MDLXI typis editum est. Si eorum operum, quae de medicina veterinaria agunt, et in citata bononiensi Ruffi editione exstant, ipse revera auctor habendus esset, nonnulla capita ex iisdem describere potuisset tum Ruffus, tum pater Theodoricus, quum ille aut coaevus, aut paulo antiquior Ruffo fuerit. Quae vero in illius opere sparsim leguntur, tanti viri doctrinae minimo respondent, quemadmodum ex locis infra allatis patet.

Al troppo flusso di sangue di qualche ferita del cavallo.

».....In tutte le ferite, et aposteme del cavallo » bisogna haver questa avvertenza, che il lume della » luna non casca sopra di loro, perchè spesse volte » induce la morte».

Alcune cose del cavallo, che per virtù lor mirabili fanno assai all' uso dell' huomo.

» Se darai il latte d' una cavalla a ber' ad una

---

la, ubi haec habentur: *Galla est quaedam tumefactio mollis* etc., additque: *eadem habentur apud Petrum de Crescentiis, qui a Jordano hausit.*

» donna, che non faccia figliuoli, massime non se » n'accorgendo ella, e dipoi subito il marito usi con » lei, facendo questo, il più delle volte la s'ingravi- » derà» . Etenim credo (et mecum facit ipse comes Bonsi (1)), Albertum numquam hujusmodi argumenta pertractasse, sed ejus nomen inscriptum fuisse illi opusculo, ut major inde haberetur celebritas, quemadmodum de aliis etiam operibus id evenisse doctus Echard (2) justis de causis suspicatur.

Laurentius Rusius Romae medicus, ut asseritur, primus fuit, qui saeculo XIV aliquid scriberet de Hippiatria. Wolfangus Justus in medica chronologia, aliique omnes, qui eum subsecuti sunt (3), hunc assignant auctorem initio saeculi XVI. Verum quî credi id potest, si ab ejus prooemio intelligimus eum fuisse Napoleonis ab Ursinis, Cardinalis romani, familiarissimum? Qui profecto ad illum dignitatis gradum elatus fuit ann. MCCLXXXVIII a Pontifice Nicolao IV, ac post sexaginta annos mortuus est Avenione ann. MCCCXLVII sub Clemente VI (4), non

(1) Vide ejus dictionar. veterin. ad verbum *Alberto*.

(2) Vid. ejus opus: *Scriptores Ordinis Praedicatorum*.

(3) Vid. *Dizionario degli Uomini illustri*. Bass. 1793.

(4) Vid. Ciaconium de Cardinalibus Tom. II. pag. 268.

vero anno MCCXCIV, quemadmodum Joannes Fantuzzi affirmavit (1). Patet igitur clarissime Wolfangi error, ac pro certo statuendum est Rusium et vixisse et scripsisse circa saeculi XIV dimidium. Rusius ipse latine scripsit opus suum, latinoque nimirum sermone constat pulcherrimus ille Codex, qui asservatur apud bibliothecam familiae Malatesta Caesenae, quemque descripsit doctissimus pater Joseph Maria Muccioli. Ejus initium hujusmodi est: » Incipit liber Ma-
» rescalcae equorum compositus per Laurentium di-
» ctum de Ruccis de urbe Marescalcum equorum ». Sequitur deinde Epistola qua liber dedicatur: » Reve-
» rendo in Xto Patri et Domino suo D. N. Sancti
» Adriani Diacono Cardinali Laurentius dictus Rusius
» Marescaldus etc. » . Alius etiam Codex latino sermone conscriptus exstat Venetiis, de quo cursim mentionem habet eruditissimus Morelli in bibliotheca Farsetiana ad num. XVII (2). Hunc ego diligenter versavi, legique in ejus fronte haec verba: *De universa equorum ratione Laurentii Rugini praeclarum*

(1) Vid. *Notiz. degli Scrittori bolognesi*. Bologna 1786 Tom. V. pag. 354.

(2) Venetiis 1771.

opus: Liber vero sic incipit: *Reverendo in Xto Patri et Dno suo, Dno Napoleoni Dei gratia S. Adriani Diacono Cardinali Laurentius dictus Ruzzinus Manescaldus de urbe Roma etc.* Horum Codicum primas lineas transcripsi, ut intelligatur quam saepe Rusii immutatum sit cognomen, ex quo posset aliquis in errores vel maximos rapi, atque perperam arbitrari totidem esse diversos auctores, quot sunt cognomina. Quas quidem varietates aut librariorum multitudini et inscitiae, aut etiam dissimilitudini dialectorum tribuit laudatus Fantuzzi; quod quidem de ipso Ruffo dicendum est, cujus cognomen in *Russum*, *Risum* atque alia cognomina, quae superius indicavimus, saepenumero conversum fuit (1).

Rusius praecipuas duxit notiones ex opere Ruffi, atque in iis morbis, de quibus agit et Ruffus, hujus ipsissima verba transcripsit. Poterit nunc in posterum facili negotio haec institui comparatio, propterea quod Rusii Hippiatria typis tradita fuit (2) a saeculo us-

(1) Cangius saepe sub hoc nomine *Risi* affert Ruffi definitiones. Sic eques Morelli in commemorata bibliotheca mentionem facit cujusdam versionis *dell' opera di Rosso*.

(2) Lutetiae MDXXXII et Romae MCCCCXC ex typis Silberii, juxta opinionem Aloysii Metaxà superius laudati.

que XVI. Ceterum operis dispositio valde inversa est. Quaedam enim capitula, quae in Hippiatria Rusii sunt a principio (quemadmodum illud: *De signis ad cognoscendum virtutes*), in libro Ruffi juxta finem reperiuntur. Jam vero de generatione ac nativitate iis, quae Jordanus tradiderat, plura addidit valde utilia. Equus, ex ejus sententia, tunc dumtaxat generationi debet operam dare, quum ejus membra omnino perfecta sunt, videlicet quinto aetatis suae anno (1), quod praescribit ipse Anatolius capite XIV Collectionis graecorum Hippiatricorum; quam collectionem ipsi cognitissimam fuisse facile est intelligere, licet de ea nusquam mentionem faciat. Equam (quam ad perfectionem citius putat pervenire, quod femineus sexus frigidior masculino est) post biennium jubet geniturae submitti. Docet quanto tempore equae fetum gerant suum, inquiritque qua de causa vaccis brevior sit graviditas, aliaque addit de aliis animantibus, et in medium affert rationum momenta e Galeni principiis ac doctrinis desumta circa conceptio-

(1) Annorum numerus in commemorata Parisiensi editione non indicatur, sed utique in eo manu scripto Codice, quem nominavimus.

nis materiem, quae modo plus minusve humida aut sicca, modo calidior aut frigidior est. Juxta ejus opinionem aquosior haec est in equis, quam in bovibus: idcirco longiore indiget tempore, ut durescat et informetur. Capite XII adnotat curandum diligentissime esse, ut pulli ea anni tempestate nascantur, quae et temperata sit, et recentes habeat herbas, ne vix in lucem editi nimio frigori aut calori obnoxii sint, neve purum atque optimum lac matribus deficiat: quamobrem in calidioribus regionibus gravidentur equae mense Aprili, in frigidioribus vero Majo. Capite XXIX opportuna equiti dat monita, priusquam sese viae committat, ut scilicet equi pedes ferreasque ejus soleas iterum atque iterum inspectet; ut sellam attente consideret, ne dorsum laedat; ut cingulam etiam animadvertat, ne membra plus justo constringat. Docet capite XXXI quae habenda sit equi cura, postquam labore multo defatigatus fuerit, ac qua ratione custodiendus sit pro rerum ac temporum varietate. Observat anginam morbum esse pullis valde familiarem (1), causasque etiam affert, sed ejus cura longior ea est, quam proponit Ruffus. Quaedam et-

(1) Hic morbus, uti putat Sprengel op. cit., comprehen-

iam sibi sumsit e Theodorico, admittitque et ipse distinctionem inter morbum Palatinum et Lampascum, ac verba facit de *Floncellis* ac *Barbulis*, uti laudatus Cerviae Episcopus. *Cimoira* ab eo appellatur *capitis morbus* (1). De colli ac dorsi aegroribus ample loquitur et diffuse. Capite LXXXIX sub nomine *guttae renalis*, sive *morsurae renum* videtur intelligere *paraplegiam*, quae sanguinis emissionibus, iteratisque ad renes cauteriis tunc temporis curabatur. *Langium* illud, de quo mentio fit capite CLXII, est quaedam caries, sive *infirmitas ad modum cancri*, quae equi caudam male afficit, ac primum pellem, carnem deinde circumrodens caudam ipsam per nodos frustatim discerpit. Si docto Brugnone fidem

---

ditur etiam in Collectione Graecorum cap. XXII de Tussi, ubi opinio affertur Themnesti.

(1) Ex hoc nomine arbitror originem duxisse gallicam vocem *morue*. Vide *Dictionnaire étymologique par Ménage*, ubi dicitur *morue*, de *morbus*. Quare ea, quam petit, danda est venia praeclaro Brugnone, quod capite IV §. 174 verbum admisit *morva*, quod adhibuit etiam italus auctor, ut hunc morbum distingueret ab aliis e naso distillationibus, quae sub nomine *cimurro* generatim et universe comprehenduntur.

habemus, Rusius primus fuit, qui hanc descripserit aegritudinem (1). Capita sunt et majora numero, et prolixiora capitibus Ruffi, praesertim ubi agitur de cura ac remediis. Satis est videre caput CVIII *de supraossibus*, et caput CLXXI *de cancro*, in quo ut ostendat quando oporteat incidi, vel curari, judicium etiam in medium affert Hippocratis et Galeni. Atque in hoc opere Rusius noster medicum sese prodit Galenicarum doctrinarum non prorsus ignarum. In describendis et designandis morbis non unico semper utitur vocabulo, nam quas *mulas* appellavit, alibi *seracias* vocat: *scimiam* seu *lucerdum* nuncupat tetanum ec. (2). Loquitur etiam de immedicabili quadam febri, quam capite CLXVI febrim vocat epizooticam, qua Romae equi perierunt plus

(1) Brugn. *La Mascalcia* ec. Torino 1774.

(2) Observandum est, caput CVI in cit. editione (Lutetiae 1532) hujusmodi titulum praeseferre *de Furina equi*, sed in eodem illud supraos describitur, quod a Ruffo *Forma* appellatur. In interpretatione italica (Venetia 1548) vertitur *della Furina del cavallo*, et in gallica (Paris 1610) *de la Furine*. Si Du-Cangio fides habenda, tumorem illum, *Formam* dictum, ex Crescentii opere *Furinam* vertit vetus interpres gallicus: ipse tamen puto librariorum aut typographorum incu-

quam mille anno trecentesimo primo, de qua epizootia nullus auctor, ni fallor, mentionem fecit, ne illustris quidem Paulet in pulcherrima illa sua epizootiarum Historia (1). Ut equus, (cap. 181 Memorabilia seu Notabilia) a supraossibus, et tumefactionibus ad crura, quibus laborare solet, liberetur, persuadet illum decoquere, ubi duorum vel trium annorum aetatem attigerit, in iis nempe locis, in quibus eae infirmitates locum habent. Hoc vero illorum opinioni opitulatur, qui hanc medendi rationem apud nonnullas nationes nuperrime exercent et proponunt. Etiam hic auctor in ea est haeresi, ut putet lunam agere in morbos, qui variis animantis membris accidit, secundum signa sympathica, in quibus eadem luna in Zodiaco invenitur, et secundum varias ejusdem phases, ut nempe in iis morbis curandis aliqua habeatur ratio ac methodus. In hoc opere numquam Ruffum auctor commemorat, sed quemdam *Magistrum Maurum*, ut in capitibus CXXXVII, CXLIV, CL, qui quidem Maurus quidnam scripserit

riae erratum hujusmodi tribuendum esse; nam etiam in opere Episcopi cerviensis in part. II. cap. 49 *de Furma* legitur, quemadmodum et in MS. veneto jam citato.

(1) Vid. *Recherches épizootiques* etc. Paris 1775.

de hoc argumento, ignoratur; ac certe alius est atque ille Maurus, qui his ipsis temporibus floruit, ac medicum *de urinis et febribus* Tractatum composuit (1).

In eadem incidit tempora cum Rusio romano Dinus Petri Dini filius florentinus, e cujus familia septem jam fuerant artis veterinariae cultores. Hic scriptor librum conscripsit hoc titulo: *Mascalcia di Dino di Pietro Dini Maliscalco e cittadino Fiorentino cominciata scrivere dal medesimo il dì* 19 *Gennajo* 1352, *e terminata il dì* 29 *Decembre* 1359 *divisa in cinque libri ec.* Aperte fatetur se ea, quae tradit, e Vegetio, Socrate, Aristotele, Jordano et e Cerviae Episcopo collegisse. Porro ejus Prologus, ratione habita ad ea quae continet, quaeque nostris etiam temporibus maxime conveniunt,

(1) Signorelli *Vicend. della colt. delle due Sicil. Napoli* 1784 Tom. II. Anno MCCCXVI quidam magister Marius ex insula Cypro, adjuvante nescio quo e Germania veterinario librum scripsit de boum equorumque morbis, cui praemissa est anatomica dissertatio opportunis illustrata figuris. Hujusmodi opus e latino in italum sermonem conversum fuit anno MDXII, asservaturque manu conscriptum in bibliotheca Barbarinorum, ut affirmat Metaxà. Fortasse hic magister Marius idem est ac magister Maurus supra citatus.

talis est, ut non possim quin aliquid saltem ex eo decerpam, atque in medium afferam: » Gli Artefici » (ait) di quest'arte sono dello studiare bene iscu- » sati, imperciocchè la maggior parte sono figliuoli » di lavoratori di terra, levati dalla marra e dal guar- » dare le pecore, per la qual ragione non possono » essere veri artefici, imperciocchè sono senza lette- » ra, sicchè non possono studiare, e però sono sde- » gnati molti valenti uomini di quest' arte perchè àn- » no veduto per general peccato d'ignoranza dar pre- » gio a sì fatta generazione d'artefici per un poco » di loro pratica, ed essendo presi la maggior parte » di loro da soperchio vino, dicendo alcuno: se il tale » non fosse ubriaco, deh! come è buon maestro »! Hujusmodi opus ineditum est, scriptumque fuit ita- la lingua (1), verumtamen parum habet utilitatis, quum nihil aliud contineat, quam eorum auctorum doctrinas, qui nobis jam noti sunt.

Manu scriptus Rusii Codex, quem Venetiis exstare superius dixi, quaedam habet in calce capitula, quae licet libri ordinem sequantur, sunt tamen cujusdam

(1) Bandini *Catalogo della bibliot. Leopoldina Laurenziana Tom. III. pag.* 217 Firenz. 1794.

Martini e Bononia; siquidem juxta finem cap. LXXIX haec leguntur: *Additiones factae per Magistrum Martinum de Bononia super libro de Mariscalcia*, quibus additionibus modo italo, modo latino sermone redintegrantur remedia, quae ipse jam proposuit Rusius, quibus accedunt praecepta quaedam ad magica incantamenta facienda, hoc est ad utilissimam hanc artem dehonestandam. Laudatus Fantuzzi putat Martinum hunc medicinam fecisse saeculo XIV (1).

In eodem Codice opusculum legitur cujusdam Uberti e Curtenova comitis et canonici bergomensis. Scriptum est lingua latina, ejusque initium tale est: » Cu-
» piens ego Ubertus de Curtenova Comes et Canonicus
» Pergamensis sub certis titulis per ordinem compilare
» tractatum de aegritudinibus equorum et eorum curis
» secundum quod aliqui moderni et antiqui manescal-
» chi censere, ad honorem Dei et communium amico-
» rum utilitatem, eo favente, ipsum aggredior comple-
» cturus ».

Novem et octoginta sunt capita, ex quibus constat hujusmodi opus, praeter duo et viginti medicamenta, quae sunt emplastra, unguenta et herbae. No-

(1) Vid. Opus laud. Auctoris.

mina vel potius idiotismi, queis aegritudines quasdam indicat, extraordinarii prorsus sunt, ac fortasse eorum locorum proprii, quibus scribebat. Atque ut quaedam afferam exempla, inter eos morbos, qui equinas ungulas afficiunt, loquitur *De corbino, de nizzatura, de insagatura*, quae profecto aegritudines quaenam reapse sint, prorsus nescimus; loquitur *De carolis, qui fiunt inter junctura pedis et ferri ex utraque parte, sed ut plurimum deintus*, quibus verbis vix intelligimus velle auctorem verba facere de carie ungulae, de quo morbo tam clare distincteque scripserunt Itali recentium temporum hippiatri (1); loquitur *De morbo asini, qui fit in superiori parte pedis incipiens a corona et inferius descendens, et est scissura amplior sidula, et fit in pedibus anterioribus, et quando vadit, acriter se dolet, et sanguinat*, etc. cui quidem morbo tale tribuit Ubertus nomen, quod, juxta Ruini opinionem (2), asinos frequentius vexat. Quid vero barbarum magis, quid captu difficilius, quam verbum illud *spler*, quo nescio quem ventris morbum scriptor significat (3)?

(1) Ruini *dell'infermità del caval.* lib. VI C. 65. Bol. 1598.

(2) Op. cit. lib. VI Cap. 53. 55.

(3) » De dolore ventris et vocatur *spler*, et ejus signum

Licet in eo multum elaboraverim, deprehendere tamen non potui quo reapse tempore vixerit hic canonicus, qui quasdam morborum distinctiones protulit a nostris deinde scriptoribus admissas. Codex quidem, unde haec hausi, tribuitur saeculo XV; alium vero codicem fuisse scio apud comitem Beltramelli bergomensem, ex quo veriores fortasse notiones haberi possent.

Huic, quam aggredior, editioni haec praemittenda putavi, et quia ab argumento non aliena videntur, et quia grata etiam Lectoribus futura arbitratus sum. Ex quibus quidem intelligimus equorum medicinam vel a primis obscuris temporibus magno apud Italos in pretio fuisse, quum tot exstiterint hippiatricarum rerum scriptores. Solus dumtaxat Crescentius eo tempore de ceteris ruris animantibus scripsit aliquid, sed id totum e Varrone ac Palladio desumsit. Non ignoro in Gallia, imperante Carolo V, exstitisse anno

» est quod equus frequenter egerit, et est passio multum pé-
» riculosa, quia statim equus moritur si cito non succurritur,
» et si cito adjuvetur, cito sanatur. Cura ec.».

Hic morbus fortasse nomen sumsit ex idiopathica vel sympathica perturbatione splenis. Ignotum enim vocabulum *spler* ex corruptione τῆς *splen* originem trahere videtur.

MCCCLXXIX Joannem quemdam Braidensem (*Jehan de Brie*), qui de ovium cura ac medicina librum exaravit (1), sed de operibus, quae ad Italiam minime pertinent, nec ad curam spectant equorum, haud mihi in animo est verba facere; tum quia minime mihi constat hujusmodi studia apud exteras nationes viguisse, tum quia non ignoro, boum, ovium ceterorumque campestrium animalium medicinam contemptui aliquando habitam; nam haec ars ex ipsa agricultura, quae suas etiam vices experta est, quam maxime pendet. Hinc perperam quis arbitraretur ejusdem historiam posse contexere, si systematum tantum tempora, et varias hypotheses, quae locum olim habuerunt in humana medicina, secum ipse supputaverit. Bellandi ars, et ludicrae illae pugnae, quae nobilium virorum animos fere totos occupaverant, hippiatriae studium valde promoverunt; nam quum hippiatria eorum animalium curam doceat, quibus homines in illis pugnis utebantur, in ejusdem artis exercitatione tum emolumenta,

(1) *Le vrai regime du gouvernement des bergers et bergères, par le rustique Jehan de Brie:* quod opus editum fuit Lutetiae Parisiorum an. 1542. Vide etiam *Essai historique sur l'Agriculture*, quod invenitur apud Theatrum Agriculturae Olivieri de Serres. Paris 1804.

tum gloriam sibi comparaverant: quae quidem duo momenta hominum animos ad artium scientiarumque culturam vehementer excitant. Silentio etiam praetermisi alia Italorum Opuscula, quae licet praecepta tradant de equorum cultu, parvi tamen momenti habenda esse duxi: hujusmodi sunt eorum scriptorum libri, qui ceteroquin tamquam germanae linguae exemplaria a florentinis Academicis proponuntur, quique sub numero XVII Codicum vulgarium Farsetinae bibliothecae commemorantur.

Celeberrima typorum inventio, quae tantum saeculo XV attulit honoris, ad artium ac scientiarum omnium notiones disseminandas mirum quantum profuit: itaque de iis, qui deinde floruerunt, scriptoribus nihil dico, ut aliquem habeat exitum Praefatio isthaec mea. Primi artis veterinariae scriptores, qui suos libros in lucem ediderunt, facere non potuere quin ad auctoris nostri documenta confugerent. Ejus itaque et praecepta et definitiones et vocabula et ordinem afferunt tum hispanus Herrera (1), tum bononiensis senator Carolus Ruini, cujus opus *De equo-*

(1) *Libro de Agricoltura que es de la Labrança y Crien-ça* ec. Toledo 1520.

rum aegritudinibus valde prolixum est (1), propterea quod quum recte viderit, neminem posse corpus quodvis opportune curare, nisi ipsius corporis compositionem structuramque cognoscat, anatomicam equi dispositionem praemisit, quae ratione habita illorum temporum, et admiratione dignissima est, et Italiae nostrae honorificentissima. Quod si magnam Ruffus promeruit laudem, quod hanc curandorum animantium artem primus suscitavit et in honore posuit, exquisitissimis etiam praeconiis commendandus est Bononiae senator, qui eamdem artem perfecit. Nostra quidem gloria est rem veterinariam excoluisse ante alios atque docuisse; nostra gloria est intellexisse humanae medicinae praecepta posse etiam ad bestiarum curam accommodari, quemadmodum celeberrimus Siciliae medicus ac neapolitanae Universitatis professor Joannes Philippus Ingrassias ostendit in sua Disputatione: »*Quod veterinaria medicina formaliter una eademque cum nobiliore hominis medicina sit* (2)«; nostra tamdem gloria est veterinariae artis cultores habuisse semper in maximo pretio, ac praesertim

(1) Op. cit.

(2) Venetiis 1568.

Carolum illum Patin, natione gallum, qui patria extorris a veneta Republica perhumaniter exceptus est, et inter patavinae Universitatis celeberrimos professores cooptatus, quique prima anni scholastici MDCLXXXII lectione illud publice affirmavit demonstravitque» *quod medico-chirurgo liceat absque artis dedecore bestiis etiam mederi*», quae quidem incitamenta in causa fortasse fuerunt, ut nonnulli medici praestantissimi accuratas potissimorum morborum historias contexerent, nobisque traderent. Verumtamen nostrum etiam dedecus est atque dehonestamentum deseruisse nunc veterinariam doctrinam, majorumque nostrorum praecepta obliterasse, dum aliae nationes, ac praecipue Gallia (1), Germania, Anglia, Hispania totae in eo sunt, ut hanc pulcherrimam artem in melius quotidie provehant, ejusque cultores praemiis cumulent, publicis ac privatis prosequantur honoribus, et ad utiliora in dies capessenda omnimodis excitent. Quamquam nondum omnino desperandum est: neque enim vete-

(1) Hoc beneficium Claudio Bourgelat acceptum debemus, qui primam veterinariae scholam certis innixam praeceptis Lugduni aperuit anno 1762, tum Alfortii anno 1765, ex quibus doctissimi prodierunt alumni.

rinariam artem adhuc Itali neglexere, quod ejus ignorent utilitatem, sed quod necessariis auxiliis ac validioribus stimulis caruerunt (1).

Dabam sancti Viti ad Tiliaventum
IV. Idus Octobris MDCCCXVII.

(1) Dicendum tamen non est, olim defuisse, aut nunc deesse omnino in Italia scholas medicinae veterinariae, Patavii enim anno 1773 collegium Zooiatricum institutum fuit, et eodem ferme tempore idem factitatum Augustae Taurinorum, et Mantuae. Veterinariam deinde scholam vidimus tum Bononiae (ann. 1783), Ferrariae (ann. 1786), Mutinae et Neapoli (ann. 1791), Romae (ann. 1806); tum demum Mediolani (an. 1808.) Hae tamen scholae plurimas vices passae sunt, quae earum existimationi maximopere obfuerunt. Veterinaria medicina inutilis profecto sit, ejusque cultores (quorum non paucos novi multiplicis doctrinae supellectili praeditos) in fraudem inducantur necesse est, si eam tum demum se exercituros fore confidunt, quum campestris oeconomia omnibus cognita, et ubique exculta etiam fuerit.

JORDANI RUFFI

DE

MEDICINA EQUORUM

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

Quum inter cetera animalia a summo rerum opifice evidenter creata usui humani generis immediate subjecta nullum animal sit equo nobilius, eo quod per ipsum principes, magnates et milites a minoribus separantur, et quia nisi ipso mediante dominus inter privatos et alios decenter discerni non posset: idcirco ad commoditatem illorum, qui equis assidue coutuntur, ipsorum specialiter, qui ad honorem militarem et bellorum assiduam probitatem nobiliori animo delectantur, quaedam de ipso equo juxta opinionem meam et mei ingenii parvitatem disposui compilare: non quod per omnia possim ea, quae eidem equo et suo generi pertinent, subtiliter indagare; sed, prout mihi Deus monstraverit, recto ordine ponam quod expertus sum ego Jordanus Ruffus de Calabria miles in marestalla quondam domini Imperatoris Friderici Secundi, sacrae memoriae recolendae diligentius adhaerebo, fere de omnibus rationes veridicas demonstrando. Rogatu quoque cujusdam mei amicissimi in hujusmodi delectantis infrascripta omnia cum dili-

gentia scribere procuravi. Unde dicendum est primo de creatione et nativitate equi; secundo de captione et domatione ipsius; tertio de custodia et doctrina; quarto de cognitione pulcritudinis corporis, membrorum et factionum illius; quinto de infirmitatibus ejusdem tam naturalibus quam accidentalibus; sexto de medicinis ac remediis contra infirmitates praedictas valentibus.

I. *De generatione et nativitate equi.*

Primum igitur de generatione et nativitate equi. Dico quod equus primo debet gigni a stallone studiose et diligenter assidue custodito, parum vel nihil ab aliquo equitato, et cum minori labore vel inquietatione et diligentius qua poterat; imo ad satisfactionem suam et majorem commoditatem stallo gignat equum; eo quod quantum cum minori labore et majore commoditate cooperuerit matrem equi, majus et complexius sperma emittet, et exinde major equus et grossior in ventre matris gignetur. Et sciendum est quod equus tali tempore debet gigni, quando nascatur multarum herbarum tempore congruenti, quoniam sufficienter equi matre pascente lac suo nato satis praebet opportunum, et hoc nempe consimili veritati. Nam si equus a sua nativitate in anima nutritur assidue in maxima lactis copia et herbarum, ejusdem carnes fiunt solidiores omnino, corpus et membra etiam grandiora; praegnante vero matre, ut

dixi, nec nimis pinguis, nec nimis macra exsistat, sed medium teneat utriusque. Quia si foverit nimis crassa, intantum pinguedo intrinseca locum filii coarctaret, quod ejusdem corpus et membra per ventrem matris non posset commode dilatari, et exinde equus efficeretur minimus vel pusillus. Si vero nimis macra exsisteret, propter nimiam maciem nutrimentum sufficiens suo nato non poterit exhibere, ideoque equus macilentus et debilis nascetur. Postea vero quum venerit tempus nascendi, in loco montuoso nascatur et saxuo vel petroso, et quod si equus nascendo locum petrosum et montuosum invenerit, fiunt ejusdem ungulae duriores et fortiores, propter usum a nativitate vel juventute montuum vel petrorum assidue consuetum. Ex loco autem montuoso dico illius crura fieri meliora propter exercitium montuum eundi superius vel deorsum; natura enim ad hoc operatur potenter. Possunt etiam ad defensionem crurium ossa fieri grossiora, nec non equi matre praegnante; interim claustra die vel nocte nullo modo subeat, quoniam propter famem et sitim, quam die vel nocte sustineret in claustris, aliquando cogeretur natum projicere ante tempus. Equus praeterea matrem sequatur continue per congrua pascua et herbosa, donec duorum annorum et non amplius aetatem perficiat; non amplius vero dixi, eo quod, equo annorum duorum transeunte aetatem, naturaliter habet coitum, et deinde si matrem sequetur, ob delectationem coitus naturalis cum matre, aut cum alio jumento quolibet deterioraretur

de levi, et in aliqua parte sui corporis facilius posset laedi. Assero tamen quod si in sufficientibus pascuis usque ad aetatem trium annorum equus libertatem haberet per bona pascua sine societate jumentorum, melius et salubrius foret equo; eo quod campis jugiter coutendo, aer et libertas in equi corpore et in membris sunt naturaliter conservantia sanitatem, specialiter crura fiunt munda omnium macularum, et per omnia meliora.

II. *De captione et domatione equi.*

Habito tractatu de generatione et nativitate equi, secundo videndum est de captione et domatione ejusdem. Dico igitur quod laqueari debet equus tam leviter quam suaviter laccio grosso et forti, decenter de lana composito, eo quod lana est ad hoc habilior propter mollitiem suam, canape, lino, vel suo aliquo coaequali. Praeterea equus recenti tempore vel nubili laqueetur, quia si tempore satis calido ex insueta captione laqueatur et nimium laborat, posset leviter incurrere membrorum et corporis laesionem. Ipso autem capto, ut dictum est, et in capite posito capistro forte de canape ad societatem alicujus equi domati conducatur ad locum, ubi domari debet, velut infra docebo: et quia omne simile naturaliter appetit suum simile, cum aliquo sui generis salubrius conducatur. *Ad domandum*. Insuper diligens adhibeatur cautela, videlicet quod equus tantum in prae-

sepio binis retinis alligetur taliter, quod propter indomationem suam a duabus retinis in cruribus aliquatenus non laedatur, et donec perseveraverit in sua feritate, semper sui similis societatem obtineat, eo quod idem tutius et securius poterit adhiberi, manu eum tangendo saepius per omnia leviter et suaviter. Adversus vero equum in principio nullatenus acriter debent indignari, ne forte ob indignationem vitium, vel indecens aliud sibi assumat, sed cum magna perseverantia levitatis et mansuetudinis mansuescat, donec mansuetus et bene domitus in omnibus efficiatur, ut decet, propter assiduum et crebrum tactum manuum, prout dixi; ita quod ad plenum et secure membra sua circum circa tangantur, et specialiter pedes securius et saepius elevando admodum ferrandi pedes percutiendo. Et sciendum est quod equus pro meliori ipsius laqueari vel domari non debet, nisi aetas duorum annorum transeat, eo quod quanto minor alligatur propter laborem insuetae domationis, tanto levius laesiones aliquas in cruribus accidentaliter incurrere posset.

III. *De custodia et doctrina equi.*

Dicto superius de captione et domatione equi, de custodia et doctrina tertio est dicendum. Equo igitur talis praebeatur custodia, quod capistrum fa-

center in praesepio alligetur, prout superius est expressum, et ejus pedes anteriores pedica de lana composita vinculentur, nec non uni pedum posteriorum fune lanea alligando, quod vulgo dicitur traginellus, ne ante ire possit ullo modo; et hoc fit pro sanitate crurium conservanda. Praeterea locus, ubi equus moratur, assidue sit omni fimo bene mundus in die; in nocte vero eidem fiat stratum, vel cubile de palea, vel de foeno longo usque ad genua pro quiete. Summo mane vero exinde extollatur; insuper summo diluculo tergantur ejus dorsum et crura et omnia membra decenti tersorio, vel strillia, prout melius videbitur expedire; postea pro potu ducatur ad aquam, parvo tamen passu: teneatur tantum in aqua, tam in mane quam in sero, usque ad genua, vel paulo superius, circa spatium trium horarum, in aquam velocem dulcem, frigidam vel marinam, eo quod frigiditas aquae dulcis vel siccitas aquae marinae naturaliter equi crura desiccant coarctando humores et aegritudines descendentes ad crura. Post autem reditum equi ad stabulum non subintret tectum, vel stabulum ullo modo, donec crura sua tergantur et desiccentur ab aqua; quoniam fumositas stabuli, propter caliditatem suam, solet adducere gallas et malos humores cruribus madefactis. Unum vero non est oblivioni tradendum, videlicet, quod equus assidue comedat tantum inferius juxta pedes anteriores, quod vix praebendam, vel foenum, vel alia carpere possit ore, eo quod ipso nitente extendere collum et caput efficiatur gracilius,

et ad frenandum habilius, nec non et pulcrius ad videndum, et ob hoc crura illius quotidie ingrossantur, et majus recipiunt incrementum, quum assiduam faciant oppressionem super cruribus anterioribus ob comestionem praedictam . Item comedat equus foenum, paleam, herbas, hordeum, avenam et speltam et eorum consimilia, quae sunt naturaliter et proprie equorum praebendae; videlicet, si juvenis est, herbas et foenum cum hordeo, vel aliis consimilibus, aut hordeo sufficienter comedat; quoniam herbae et foenum ventrem dilatant et corpus, nec non in sua crescentia propter humiditatem eorum membra naturaliter augent. Si vero equus perfectus fuerit, vel ad completam aetatem adductus, paleas, hordeum, vel eidem consimilem comedat moderate, quoniam propter siccitatem paleae equus de facili non superflue impinguatur, sed in competentibus carnibus fortior retinetur, et ita poterit equus salubrius et securius fatigari. Et sciendum est quod equus pro meliori non debet esse nec nimis pinguis, nec nimis macer, sed medium habeat utriusque, ut carnes teneat competentes, quoniam si nimis pinguis exstiterit, humores superflui de more ad crura descenderent, et exinde leviter aegritudines, vel laesiones eveniunt, quae solent ad equi crura more solito evenire; et si forte subito aliquibus laboribus vexaretur, posset morbis pluribus facilius devastari, nam eidem sufficit suam pinguedinem moderatam tantummodo deportare. Si vero fuerit nimis macer, propter suam maciem deficiunt

penitus sibi vires; insuper est horribilis et turpior ad videndum. Praeterea equus, postquam in completa aetate fuerit adductus, herbas domitas, vel indomitas comedat solummodo ad purgandum in veris tempore circa spatium unius mensis, non foris ad aerem, sed sub tecto, nec non grosso tegmine laneo coopertus, quoniam herbae praedictae naturaliter sunt frigidae, et, nisi bene coopertus fuerit, posset equus de facili frigidari, aut morbos incurrere graviores, quum praeterea equus voluerit praebendari hordeo, vel aliquo suo consimili. praebenda sua cum vallo astaminetur prius decenter, et postmodum detur equo, quoniam pulvis hordei, vel sui similis solet equis de levi tussim adducere, nec non corporis interiora desiccat. Aqua vero pro equi potu debet esse mollis, aliquantum salita, turbida, suaviter currens aut nihil; quoniam hujusmodi aquae dictae propter mollitionem et grossitudinem earumdem sunt calidae et grossam substantiam retinentes, ideoque efficientur equorum corporibus nutribiliores et refectiores ad plenum. Nota quoque quod aquae quanto frigidiores et velociores exsistunt, tanto minus equum nutriunt et reficiunt; et quia equus, nisi bibat sufficienter ad plenum, non posset carnes assumere competentes, utile satis videtur abluere saepe os equi interius, et fricare cum sale frequenter vino fortissimo madefacto, quoniam ob hoc equus libentius aquam assumet.

2. *Ad ferrandum equum.*

Ferrari debet equus ferris sibi convenientibus rotundis ad modum ungulae; extremitas tantum circuitus ferri sit stricta et levis, quia quanto leviora fuerint ferra, tanto agilius et facilius elevat pedes suos, et quanto ungula equi circuitu ferri utitur strictiori, tanto major et fortior efficitur, prout decet. Et nota quod quanto equus ferratur junior, tanto ejus ungulae molliores et debiliores fiunt, quoniam usus eundi a juventute sine ferris nutrit naturaliter ungulas equi duras et magnas. Cavendum est insuper equum sudatum, vel superflue calefactum non comedere aliquid, vel potare, donec coopertum aliquo panno paulisper ducendo, sudor et calor recesserit penitus ab eodem. Sciendum tamen est quod taediosa et insueta equitatio serotina minime prodest equo; quoniam propter praecedentem laborem sudor tantus supervenit in eum, quod vix potest ob supervenientem noctem, ut condecet, desudare, ut equus more solito praebendetur: nec non propter nocturnum aerem, qui frigidior est diurno, posset levius frigidari; idcirco equitatio matutina multimodo commendatur. Oportet tunc equum habere assidue coopertam lineam in tempore calido, propter muscas et alia consimilia; simili modo coopertam laneam obtineat tempore frigido, propter frigus. Equus vero pro meliori ipsius equitari taediose non debet a medietate Julii usque per

totum mensem Augusti, vel parum in antea. Imo custodiatur, prout dixi superius, in locis frigidis, herbis et aliis recentibus coutendo; quoniam tunc propter nimium calorem, tunc propter immoderatam equitationem posset leviter intrinsecus desiccari, vel scallamari. Similiter dico in mense Januarii quoniam propter immensum frigus equus calefactus, vel sudatus de facili frigidatur: et nota quod pro sanitate equi salubrius conservanda quater phlebotometur in anno a vena colli assueta: videlicet in veris tempore semel, in aestate semel, in autumno semel et in hieme semel, sufficienter tamen vice qualibet minuatur. Sciendum est quoque quod equus et diligentius custoditus, sicut superius enarravi, nec non, ut convenit, moderate equitatus in sua virtute et bonitate, ut in pluribus circa spatium XX annorum, valide perseverat.

3. *De doctrina equi.*

De doctrina itaque dico subsequenter. In principio doctrinae vel equi morigeraminis requiretur frenum debile et levius, quod poterit inveniri, et quum eidem imponitur frenum, aliquantulum mellis, vel alicujus dulcis liquoris aliquoties perungatur frenum; dixi fore leve et debile, quia quanto in principio minus malum infert in ore ejusdem, tanto illud in antea facilius et acceptabilius sustinebit. De melle, vel aliquo dulci primo in morsu dixi poni, quoniam gustatam dulcedinem aliquoties libentius iterato recipit,

postquam vero frenum sine difficultate recepit, hinc et illinc per aliquos dies mane et sero ad manum ducatur, donec pro optime ductorem sequatur. Deinde sine strepitu et tumultu, sine sella et sine calcaribus, suavius et levius quam poterit, equitetur et paulatim parvo passu ducatur, eumdem a dextris et a sinistris saepius revolvendo quadam virga ipsum percutiendo decenter, et, si expedierit, ductor aliquis antecedat pedes, sicut dictum est superius, summo mane vel summo diluculo usque ad mediam tertiam per loca plana et non saxea, donec equitator eum quocumque placet sine ductore conducat et societate. Quum vero illum spatio unius mensis, vel circa taliter equitaverit, sella eidem imponatur sine tumultu et strepitu, et deinde cum sella equitetur usquequo recens tempus appropinquaverit, scilicet hiemale. Equitator verumtamen, postquam equum suaviter adscenderit, eum non removeat, donec sibi pannos actet, ut convenit, quia equus exinde quietum assumit ob commodum equitantis. Post haec autem, frigido tempore accedente, modus, vel maniera equum doctrinandi praedicta taliter immutetur; videlicet, quod equitator faciat ipsum per magissias, vel arata campestria moderate troctare, ut dictum est, summo mane, ipsum magis a dextris quam a sinistris frequentius revolvendo; prius habena dextera freni per unum pollicem extransverso, alia cursione exsistente, eo quod equus est naturaliter pronior a sinistris, sed frenum fortius mutando, prius si videbitur expedire, ut pro velle facilius te-

neatur. Troctare dixi saepius per arata, quam alia plana loca, eo quod propter valliculos et monticulos, qui sunt in magissis et in campis aratis, more solito assuescit equus et instruitur quotidie crura et pedes altius et levius in suo egressu decenter levare; et hoc similiter fieri potest per loca satis arenosa consimili ratione. Verum equus in locis praedictis assumto usu pedes et crura erigere decenter, per loca alia tutius et salubrius erigit gressus suos, et ita in suis egressibus minus praecipitat equitantem, vel se ipsum aliquatenus non offendit. Consueto equo praeterea bene et habiliter troctare per conveniens temporis spatium a dextris, ut dictum est, et sinistris, simili modo per praelibata loca summo diluculo, paulatim tamen in principio, in minore et breviore saltu, quo poterit, ut dictum est, galloppetur. Cavendum est tantum quod non diu vel taediose galloppetur in die, ne forte equo taedeat galloppari, et eumdem pigeat in eodem negotio iterare; esset quippe error maximus equitantis; nam ob hoc equus de levi retrogradus fieri posset in posterum. Unum nempe utile non modicum videtur, quod equitator troctando, vel galloppando, aut removendo equum ad cursum intantum trahat habenas freni manibus circa dorsum inferius circa carresum, quod equus plicando, vel curvando collum intantum caput inclinet, ut os deferat continue juxta pectus; et hoc fiat in principio paulatim, prout videbitur expedire, nec non omnis cautela et studium adhibeatur ibidem; et hoc certe dico fore utilius et salubrius

equo, nec non equitanti; quoniam quum equus inclinatum defert caput propinquum satis pectori et collum decenter curvatum, troctando et galloppando, prout expressi superius, apertius et clarius respicit gressus suos, nec non melius a dextris volvitur et sinistris facilius ad libitum retinetur: sed, ut breviter dicam, hoc est in omnibus commendandum. Sed quia id, quod de capitis continentia scripsi pro majori subjacet parte freno; ideo expedit ut effrenandi freni modus et maneries exprimatur.

4. *De forma freni.*

Est igitur freni quaedam forma, quae dicitur ad barram, eo quod ad duas barras extransverso et una per longum composita est, quod levius et debilius equo omnibus aliis exsistit. Est quidem et alia forma, quae ad medium morsum vulgariter nuncupatur, nomen ex opere assumentis, eo quod medium habet morsum extransverso, habentis solummodo barram et aliam bipartitam fortioris et retentibilioris alio supradicto. Est praeterea alia freni maneries dicta ad medium morsum, similis supradicti cum fallis tortuosis, sive planis, et in morsu freni ponitur in modum anuli fabricati, quod est adhuc fortius et retentibilius aliquo praedictorum. Est et aliud frenum, quod dicitur ad caraldum, habens morsum aliis longiorem usque ad palatum equi, et intra os funditur pertenentem in morsu, cujus ponuntur fallae multimodae et diver-

sae, quod acrius et saevius dictis omnibus approbatur. Sunt praeterea aliae formae freni, quibus aliqui provinciales equis eorum utuntur, horribiles et asperrimi sine modo; quospropter suam acritatem et saevitiem praetermitto. Intueri igitur debetur mollities et durities oris equi, et juxta quod durum, vel molle habuerit os, frenum imponatur eidem, ut ad plenum satisfaciat equitanti; et deinde, sicut superius enarravi, moderate absque violenti cursu equus quotidie equitetur. Utile tamen exsistit modicum ipsum per civitatem paulatim frequentius equitare, specialiter ubi fabri more solito fabricantur, sive ubi sit sonitus, strepitus, vel tumultus; nam ob hoc majorem audaciam et securitatem equus assumet, minusque fiet pavidus strepitibus et sonitibus coutendo; si vero per dicta loca transire trepidaverit, vel pavescet, idem equus saevis verberibus virgae, vel calcaribus non cogatur, sed convenienti verbere leviter eumdem blandiendo ducatur. Nam imaginaretur semper molimina sibi facta accidere ex strepitu, sonitu, tumultu, et ita equus pavidus et attonitus deveniret. Oportet tamen equitatorem pro meliori in die equum adscendere et frequentius descendere, suaviter et leviter juxta posse ut assuescat in descendendo et adscendendo quum expedierit, super eum stare tam pacifice quam quiete; et hoc totum, quod superius edocetur, fuerit per omnia observandum, donec dentes equi decenter et perfecte fuerint immutati, quod facit equus quinque annorum spatio pro complendo. Mutatis autem dentibus,

prout decet, quam salubrius poterit, sibi de maxilla interiores dentes quatuor extrahantur; duo videlicet ex parte una et totidem ex altera, qui scalliones, et plane a pluribus nuncupantur freni morsui continue adversantes. Hoc peracto, ut dixi, si equus durum et forte dudum hactenus obtinuerit os, permittatur prius ejus vulnera aliquantulum solidare, et postea frenum ad barras compositum, quod leve est, imponatur eidem; si vero os molle ita habuerit et tenerum, frenum ad barras similiter in secundo, vel tertio die suorum exstirpationis dentium imponatur; et, veluti praedixi, equitetur eumdem quotidie effrenando, moderate tamen, ut condecet, galloppando. Illud quoque, quod docui, si durum os habuerit, solidare aliquantulum oris vulnera permittatur; quoniam carnes novae rumpentur citius quam vetustae, et ideo equus frenum magis timescit propter teneritatem vulnerum, satisfaciendo potius equitanti. Quod autem dixi, si molle, in secundo vel tertio die cum freno more solito equitetur, eo quod vulnera dentium solidantur, subtus frenum, eodem assidue coutendo, fiunt in vulneribus carnes callosae et quasi durae in posterum, unde os equi efficitur habilius ad frenandum. Notandum est enim quia os equi debet esse nec nimis durum, nec nimis molle, sed teneat medium utriusque: et hoc patet quia equus non posset perfecte nec recto ordine effrenari, nisi quatuor dentes sibi, ut dictum est, exstirpentur; et in hoc equus alias utilitates consequitur, quas fui multoties experientia do-

ctus, videlicet quia in praedicta exstirpatione equus vindicat sibi pinguedinem et grossitiem corporis, quoniam amittit exinde feritiem, superbiam vel furorem. Post vero exstirpationem dictorum dentium equus equitetur, ut dixi, ipsum ad saltus parvulos removendo, nec non equis aliis saepe saepius obviando, intrando et exeundo, eo quod assuescat audacter discedere ab eisdem, frenum mediocriter forte, vel fortius immutando, donec videbitur expedire. Cavendum est autem quia invento freno habili vel decenti nullatenus inantea immutetur. Quoniam post exstirpationem dentium ex crebra mutatione frenorum ora equorum solent devastari. Sed ubi equus se habuerit prout dixi, convenienter ad frenum totaliter, quod longo et frequenti usu artem et modum corde tenus noverit effrenandi, subsequenter ipsum ad currendum assuescere oportebit. Curratur igitur equus summo mane semel qualibet septimana per viam bene planam et aliquantulum arenosam circa quartae partis spatium unius milliarii in principio cursus, et exinde, si libuerit, usque ad unum milliarem, et amplius poterit augmentari. Sciendum est autem quod equus quanto frequentius et moderate curretur, fiet celerior et agilior cursui propter usum. Unum tamen contrarium usui est, frequentando videlicet quod equo proinde fiet fragrantior et impatiens et quandoque retrogradus, si festinatur ad cursum indebite, et suae assuetae effrenationis maximam partem perdit. Unum tamen non est oblivioni tradendum, quod postquam equus perfecte edoctus fuerit

et consuetus ad frenandum, ut praedixi superius, equitatorem non pigeat equum facere galloppare, salire et currere moderate; quoniam longa quies desidiam parat equo, et quae artificialiter dudum instructus fuerat, de facili cogitur oblivisci.

IV. *De cognitione pulcritudinis corporis equi.*

Dicto de custodia et doctrina, quarto de cognitione pulcritudinis corporis illius, factionum et membrorum admodum est dicendum. Cognosci debet equi pulcritudo tali modo. In primis habeat equus corpus magnum et longum, ita tamen quod subsequenter membra equi respondeant sub longo vel magno corpore prout convenit ordinate. Caput equi debet esse gracile, siccum et longum convenienter; os magnum et laceratum; habeat nares magnas et inflatas; oculos grossos habeat et non concavos; auriculas vero parvas et aspideas efferat; collum obtulat longum et bene versus caput; maxillas habeat bene graciles et siccas; crines paucos et planos; pectus habeat grossum et bene rotundum; guarensem obtulat non acutum, sed quasi tensum et rectum; dorsum curtum et quasi planum; lumbos rotundos et grossos; costas grossas et ilia ut bovina; subter ventrem longitudinem habeat; ancas obtineat longas et tensas; et clunem habeat similiter longam et amplam. Cauda vero grossa sit cum paucis et planis crinibus. Coxas, dico, habeat latas et car-

nosas interius et exterius. Garecta ampla satis tensa et sicca. Falces curvas et amplas obtineat cervinas; crura praeterea bene ampla et pilosa et sicca; juncturas crurium grossas et parum carnosas, nec non satis propinquas ungulis, ad similitudinem boum; pedes vel ungulas obtineat amplas, duras et concavas, prout dixi. Equus vero sit altior ex parte posteriori, quam anteriori aliquantulum, veluti cervus. Collum tamen deferat elevatum videlicet grossitiem juxta pectus; et qui recte voluerit equi pulcritudinem intueri, oportebit praescripta membra tam altitudini equi quam longitudini ordinatae proportionabiliter convenire. De pilo equi, quia diversi diversa sentiunt, multa dicere non oportet, secundum me tantum dico quod pilus, qui dicitur bajus et semialbus et obscurus, super omnibus est laudandus. Praeterea quia nimis foret longum factioni, vel membro cuilibet reddere suam causam, et quia per se liquet causa cujuslibet, quod praedixi, easdem dicere praetermitto. Sciendum est denique quod pulcritudo factionum equi veratius et aptius dignosci potest ex macerie imminente, potius quam ex pinguedine dominante, quoniam per maceriem potius quam per pinguedinem pulcritudo membrorum et factionum equi perfectius demonstratur.

V. *De aegritudinibus naturalibus venientibus.*

Viso superius de pulcritudine membrorum et factionum, quinto videndum est de morbis vel aegritudinibus ei advenientibus tam naturaliter quam accidentaliter: et est tractandum, nec non et cum summa diligentia perscrutandum. Primum igitur dico aegritudinibus naturaliter contingentibus equo, secundum quod aliquando ob defectum, vel accessionem aliquam minuit, vel augmentat: auget tamen rarissime, videlicet quod quando equus nascitur habens maxillam inferiorem superiori altera longiorem, et quando equus nascitur binis caudis et aliis consimilibus; et quando cum uno oculo albo et altero nigro, et quando nascitur cum quadam superfluitate carnis granellosae in cruribus, et quando in alia parte corporis proditur faciens quamdam grossitiem granellosae carnis sine corio et sine pilo ad magnitudinem avellanae vel nucis; et quando magis et quando minus assidue corii superficiem superantem, quod dicitur murus vel celsus vulgariter, et quando equus nascitur cum aliquibus superfluitatibus carnium; velut glandulae, quae fiunt inter corium et carnem, et hae glandulae, sive scrofulae, aut testudines vulgariter nuncupantur. Minuit vero quum nascitur habens oculum vel auriculam, aut nares aliis parviores. Minuit vero natura et cum nascitur habens unam ancam, alia curtio-

rem, unde totum crus aliquantum minoratur, et dicitur sculmatus in vulgo. Minuit praeterea etiam aliquando natura et fallit, quando equus nascitur obliquis cruribus tam in anteriori, quam in posteriori parte. Simili modo de unguibus vel pedibus accidit, qui quandoque naturaliter obliquantur. Aliquando equus nascitur cum jardis in garectis, et gallis in cruribus, provenientibus eidem ex patre vel matre easdem habentibus. Jarda est quaedam mollis inflatio ad magnitudinem ovi, aut amplius sive minus, quae tam in anteriori parte, quam exteriori nascitur in garectis: galla est quaedam tumefactio mollis ad modum vesicae velut galla vel avellana aut nux, quandoque magis vel minus, quae circa juncturas crurium juxta ungulas generatur; ex opere accipiens suum nomen.

VI. *De accidentalibus infirmitatibus et laesionibus equorum.*

Dicto superius de defectis, mutationibus vel augmentationibus, aut aegritudinibus naturalibus, de accidentalibus infirmitatibus vel laesionibus est dicendum. Subscribendum est ordinate: primo igitur cujuslibet infirmitatis vel laesionis vocabulum secundum nos: secundo quae sint quaelibet laesiones vel infirmitates, et quomodo cognoscantur, et unde aegritudines praedictae proveniant accidentaliter vel casualiter: tertio de medicinis cunctis contra infirmitates vel laesiones, valentibus est diligentissime supponendum. Un-

de in primis vocabulorum capitulorum omnium aegritudinum sive laesionum secundum nos incipiunt.

CAPITULUM 1. De verme.
2. De verme volativo.
3. De anticuore.
4. De strangullione.
5. De vivulis.
6. De dolore ex superfluo sanguine.
7. De dolore ex ventositate.
8. De dolore ex superflua comestione.
9. De dolore ex indebita retentione urinae.
10. De tumefactione testiculorum.
11. De infundito.
12. De pulcino.
13. De infustito.
14. De scalmato vel dessiccato intrinsecus.
15. De aragiato.
16. De cimoira.
17. De infrigidato.
18. De infirmitatibus oculorum.
19. De aegritudinibus intra os.
20. De laesione linguae.
21. De omnibus laesionibus tergi.
22. De laesione corii.
23. De pulmone.
24. De spalatiis.
25. De baruliş vel carbunculis.

Capitulum 26. De scabie vel pruritu ad collum et ad truncum caudae.
27. De malferuto in lumbis.
28. De laesione ancae.
29. De laesione spatulae.
30. De laesione falcis.
31. De gravedine pectoris.
32. De laesionibus crurum.
33. De jarda in garecta.
34. De spavanis.
35. De curba.
36. De spinula.
37. De supraossibus.
38. De attinctione vel attineto.
39. De gallis.
40. De grappis.
41. De crepatiis.
42. De extortilliatura.
43. De omnibus inflationibus crurum.
44. De spina vel trunco ligni ad crura intrante.
45 De forma.
46. De crepatia transfusa.
47. De cancro.
48. De fistula.
49. De malo pinsanese.
50. De sita.
51. De omnibus laesionibus ungularum.
52. De suprapositis in corona.

CAPITULUM 53. De inclavaturis, quae tangunt vivum ungulae.
54. De inclavaturis, quae non tangunt.
55. De inclavaturis, quae rumpunt coronam carnis.
56. De ficu subtus solam pedis.
57. De mutationibus ungularum.

CAPITULUM 1. *De verme.*

Accidentalis igitur infirmitas est, quae dicitur vermis vulgariter, incipiens in equi pectore, vel inter coxas circa testiculos, deinde ad crura descendens, eisdem inflationes adducens, crura universaliter crebris ulceribus perforando; qui vermis ex malis procreatur humoribus, calidis, superfluis, longo tempore insimul congregatis et concursis, postmodum ad quamdam glandulam, quam habent equi singuli naturaliter intra utramque partem pectoris ubi tenet cor, nec non intra coxas circa testiculos propter aliquem dolorem ibi accidentaliter advenientem, quoniam concurrunt ibi undique spiritus et humores, quum omne simile naturaliter appetat suum simile; unde concursis de more humoribus ad dolorem illa glandula pertumescit, et exinde tument pectus et crura; et cruribus postmodum tumefactis in parte anteriori vel posteriori oportet humores, carnes et corium in cruribus rumpere, facientes ibi vias et foramina plurima ad putredinem emittendam exterius: cui nisi curis re-

centibus succurratur, patiens totam fere humiditatem corporis vel humores emittere cogitur per crurium ulcera praelibata uno humore assidue, more solito, alterum persequente.

Remedium contra eamdem infirmitatem.

Contra infirmitatem vermis praedictam curas et medicinas edocebo; quoniam quum videntur in equi pectore vel in coxis juxta testiculos glandulae, quas praedixi, tumefieri, vel plus solito augmentari, statim equus de consueta vena colli juxta caput, et consuetis venis ab utraque parte pectoris vel coxarum usque quasi ad debilitationem corporis minuatur, ut evacuentur humores superflui condecenter; et deinde ponantur decentes sectones in pectore vel in coxis humores ad se assidue attrahentes, propter crebram et congruam exagitationem sectonum, vias exeundi praeparantium ad dolorem glandulae, humoribus jam concursis, et quia per loca dolentia perfluunt spiritus et humores. Si igitur locus sectonum necessario dolet et patitur decenter, sectonibus agitatis, more solito, propter attractionem sectonum humores ibidem concurrunt, iter quoddam inceptum ad glandulam penitus dimittendo; et ita humores praedicti jurisdictionem non habent ad crura descendere, nec etiam tumefactiones adducere, prout superius enarravi. Scien-

1810

dum est tamen quod sectones agitari non debent, nisi duorum dierum spatium transeat; praeterea vero

mane et sero intantum quotidie agitentur, quod duo juvenes vice qualibet fatigentur, equo prius parvo passu, non modicum equitato; deinde non cesset die qualibet fatigari, cavendo eumdem ne herbas comedat neque foenum, imo de aliis parum comedat et parce, solummodo pro viribus assumendis. Unde herbae et foenum et de aliis abundanter comedere, humores vermi potius augmentaret, nec non pro quiete in nocte locis frigidis assidue coutendo. Si vero glandula vel vermis, propter sectones et minutionem sanguinis aut per praedicta alia, non decrescat, sed superabundent humores, superflue tibias tumescentes; tunc illae glandulae vel vermes tali modo salubriter extrahantur, quod scisso prius per longum corio et carnibus usque ad inventionem vermis vel glandulae, de quá dixi, et ferro illo vel lancea deposita glandulae illae ungulis manuum tantummodo circum circa scarnando, et exterius radicitus exstirpentur, prout salubrius et melius videbitur expedire, nec de praedicto verme ibidem aliquid remaneat; et inde verme vel glandulis radicitus exstirpatis stuppa munda in albumine ovi infusa sufficienter vulnus totaliter impleatur, suto vulnere postmodum, ne stuppa possit ullatenus extra ire. Si vero vulnus sit in pectore, propter ventum, ligentur decenter petia linea vel lanea ante pectus, et deinde vulnus usque ad tertium diem mutari non debet; in antea bis in die mutetur stuppa madefacta cum oleo in ovi albuginem agitato, vulnus prius vino calido abluendo, et tali utatur cura novem

dierum spatio transeunte: postea vero abluatur vulnus bis in die vino aliquantulum tepefacto, et intromittatur in vulnere stuppa minuta incisa, in pulvere involuta; quae pulvis subscripto modo efficitur, de calce viva et melle: videlicet accipiatur calx viva et totidem de melle liquido, et immisceatur insimul intantum unum cum alio agitando, quod fieri possit exinde quaedam placentula, et ea placentula incendatur in igne, intantum donec ex ea efficiantur carbones, de quibus postea fiat pulvis, et praedicto utatur pulvere donec vultus decenter fuerit solidatum, sectonibus vero interim agitatis, nec non equo quotidie fatigato, prout superius est expressum. Nota tamen quod equus equitari non debet usque ad diem tertiam postquam vermis fuerit exstirpatus. Deinde vero diu et sine modo, ut dixi, die qualibet equitetur. Sed ad hoc, ut dictus vermis salubrius destruatur, curam salubriter subscribam; videlicet quod scisso per longum corio, et carnibus usque ad inventionem vermis, prout dixi, reselgar pulverizatum decenter trium tarenorum pondere et amplius, secundum majus et minus, super adspergatur, semel solummodo vermi praedicto posito postmodum bovice (1), suto ore vulneris, ne reselgar possit exire a vulnere ullo modo, de quo circa novem dierum spatium vermis corroditur: violenter corroso praeterea radicitus vel distructo cura utatur continue, quam in exstirpatione

(1) Pro bombyce.

vermium superius jam praedixi. Si vero post praedictis omnibus humores restringi vel disseccari non possent, quoniam ad crura descendunt foramina velut vesicae parvae aut ulcera facientes, constanti ferro rotundo in capite illa ulcera vel vesicae funditus decoquantur, prius coquendo magistram venam pectoris extransverso, quae tendit a loco vermis inferius usque ad pedem; postea vero decoctis foraminibus crurium, prout dixi, super adspergatur in ulceribus calx viva bis in die solummodo, separato prius corio, cocturae foraminum ibi factae. Et nota quod si ex verme remanserit crus inflatum, tali subveniatur manerie; videlicet quod accipiantur arundines, quae sanguisugae dicuntur, et ponantur circum circa inflationes crurium, abraso prius universaliter loco tumefactionis praedictae, vel abraso universaliter toto crure, deinde extracto sanguine cum sanguisugis quantum exire poterit, implastretur totum crus cum aceto et cera alba, insimul agitatis, vel teneatur in aqua frigida diu quotidie mane et sero, et hoc fiat quotidie donec crura gracilia redigantur.

2. *De verme volativo.*

Quandoque tamen accidit quod occasione vermis praedicti efficiuntur in corpore equi vulnera plurima et diversa; specialiter in capite equi multimoda ulcera fiunt; inflationes in equi capite adducentes quandoque per nares equi humores, velut aquam, emittere facientes, et hic vermis vulgariter dicitur volativus.

Remedium contra.

Contra vermem praeterea volativum ad caput equi adscendentem ibidem humores corruptos more solito congregantem, tali modo humores a capite subtrahantur exterius; videlicet quod de consuetis venis ambarum temporum sufficienter sanguine minuatur, deinde sectones decentes sub ejus gutture supponantur; de exagitatione sectonum, de comestione, de equitatione, nec non de usu loci frigidi fiat per omnia, ut de alio verme superius enarravi. Si vero volativus in cimoira convertatur, quod saepius de more accidit, fiat veluti in loco suo de cimoira infra docebo.

3. *De anticuore.*

Accidit subsequenter quod illa glandula, vermis dicta, quae exstat in equi pectore juxta cor intantum aliquando universaliter augmentatur propter humores ibidem concursos, ut dixi superius, et modo aliquo per crura non sparsos, quod tumefactio vel augmentatio glandulae sibi redigitur in apostema; et quia satis vicina cordi exsistat, eidem quotidie adversatur, et nisi patienti succurratur in brevi, cor ejusdem apostemate posset laedi facilius; et haec infirmitas dicitur anticor, idest contra cor.

Remedium contra anticuorem.

Subsequenter dico contra infirmitatem anticuoris, quae fit ex augmentatione subita glandulae, prout superius est expressum, quod statim quod videbitur illa glandula subito augmentari cum furore, vel plus subito ingrossari, nec non quandoque totum pectus tumefieri, sine mora qualibet a pectore cum festinantia radicitus exstirpetur; tali tamen modo fiat exstirpatio, velut in exstirpatione vermium jam praedixi; et quia haec infirmitas sive apostema satis propinque cordi exsistit, debet cautissime cum summa diligentia exstirpari. Si vero in exstirpatione ejusdem vena aliqua in sanguinem prorumpit, statim capta vena praedicta stricte manibus, filo serico strictius alligetur: si vero propter abundantiam sanguinis vena capi non possit, intromittatur in vulnus medicinae subscriptae ad sanguinem viriliter restringendum: accipiatur videlicet turis duae partes et tertia aloe epaticae, et pulverizentur insimul velut decet, et cum sufficienti ovi albugine agitentur, et immisceantur postmodum cum pilis leporum sufficientibus, et deinde intromittantur abundanter in vulnus, videlicet supra venam: ad idem valet gissum cum calce tritum et graniolis uvarum bene tritis: ad idem valet stercus equinum recens mixtum cum creta in aceto fortissimo agitatum. Et nota quod praedictae medicinae ad sanguinem restringendum, usque ad diem tertium vel secundum non debent a

vulnere removeri; et deinde curetur vulnus sicut de verme superius continetur, praeter de sectone, comestione, equitatu et loco frigido, quibus nullo modo coutatur.

4. *De strangullione.*

Sunt et aliae aliquae glandulae circa caput equi cujuslibet exsistentes, quarum aliquae sub gutture equi jacent, quae inflantur vel accidentaliter augmentantur propter humores capitis equi frigidati. Ad dictas glandulas de capite descendentes, ex grossione vel inflatione quarum totum guttur inflatur, et ita constringunt meatus gutturis, unde equus, prout convenit, vix poterit exspirare, et etiam male bibit et comedit, et haec aegritudo vulgo dicitur strangullionis.

Remedium contra.

Contra morbum strangullionis talem medicinam suppono, quod quum illae glandulae, quas praedixi, quumque videntur sub gutture subito crescere vel plus solito augmentari, statim sectones sub equi gutture imponantnr, ducendo eosdem mane et sero sufficienter prout melius videbitur expedire. Imponatur praeterea in equi capite lanea cooperta ungendo quam pluries totum guttur butyro, et specialiter locum strangullionis peroptime, nec non loco calido coutendo assidue. Si vero glandulae illae propter exagitationem sectonum frequenter, prout convenit, non decrescant,

admodum vermes penitus exstirpentur, et extractis radicitus, vulnus strangullionis curetur, velut vulnus vermium, quod praedixi; vel cum pulvere resalgaris possunt illae glandulae exstirpari, vel destrui modo superius enarrato. Sciendum est quoque quod pulvis resalgaris in quacumque incisione carnium, vel ruptura superpositus fuerit, moderate et decenter carnes corrodit et destruit, velut ignis. In appositione vero resalgaris diligens adhibeatur cautela; quoniam si immoderate fit appositio resalgaris, immoderate et mirabiliter funditus carnes corrodit.

5. *De vivulis.*

Sunt et aliae glandulae, quae jacent inter collum et caput equi, videlicet sub utraque parte maxillarum, quae similiter augmentantur ex reuma capitis, meatusque gutturis taliter coarctantes, quod nihil patiens potest comedere vel potare vel etiam expurgare; itaque nisi subveniatur instanter, claudunt penitus arterias gutturis patientis, unde patiens cogitur projicere se in terram intantum caput percutiendo ibidem, quod vix aut numquam erigitur; quae vivulae vulgariter appellantur.

Remedium contra.

Contra vivulas supradictas talem praebeo medicinam, quod incontinenti quod videntur vivulae ante-

dictae tumefieri subito velut ova, vel amplius sive minus, ferro satis calido cuspideo funditus decoquantur, vel lancea acuta per longum funditus incidantur; aut, quod melius est, modo expresso superius de verme, caute penitus exstirpentur, tam ex una parte maxillarum, quam ex alia, si videbitur expedire, et exstirpatis, exterius vulnera vivularum, veluti de verme superius dixi, usque ad consolidationem carnium medicentur.

6. *De dolore ex superfluo sanguine.*

Fit et alia aegritudo, quae intus corpus equi accidentaliter generatur, adducens intra corpus equi dolores et torsiones multimodas et diversas, quod accidit ex superfluitate sanguinis corrupti intra venas inclusi: hic dolor ex superfluitate sanguinis dicitur, qui non adducit inflationes iliorum, vel corporis patientis, sed ejus venae solummodo tumefiunt, nec non cogit eumdem ejicere se in terram.

Remedium contra.

Contra dolorem, qui fit ex superfluitate sanguinis vel humoris adhibeo tales curas, quod quum equus videbitur dolere intrinsecus, incessanter absque tumefactione aliqua iliorum, semper ilia respiciens circumque, tunc a vena cingularia, quae sic vulgariter nuncupatur, videlicet prope cingulum, ab utraque parte

usque quasi ad debilitatem corporis minuatur, nec non ex quacumque parte corporis a venis videlicet, quibus sanguis haberi poterit, eminuatur similiter, et deinde ducatur ad manum parvo passu paulatim, non comedente patiente aliquid ullo modo, nec bibente, donec dolor praedictus ex toto eum dimiserit.

7. *De dolore ex ventositate.*

Fit praeterea dolor inter corpus equi eveniens ex ventositate per corporis poros, intrans in ventrem vel corpus equi calefacti superflue vel sudati, adducens assidue iliorum quandóque et corporis tumefactiones immensas; unde equus affligitur vehementer, et hic dolor ex ventositate dicitur.

Remedium contra.

Contra quem tale remedium poterit adhiberi: accipiatur cannellus unus de canna grossiori qui poterit inveniri ad longitudinem palmi unius, et intus anum patientis, unctus prius oleo, imponatur pro majori parte videlicet intus anum; qui cannellus post hunc introitum cum cauda cum quodam spacu ligatur, ne aliquo modo exire possit invicte, hoc peracto statim cum festinantia equitetur, eumdem versus loca montuosa troctando, coopertum decenter, fricatis prius iliis peroptime cum manibus in oleo calido madefactis, et sic patiens in troctando caleficitur, prout,

dixi, nec non per cannellum exsistentem in ano ventositatem assumptam in ventre necessario expellit exterius, et deinde danda ei sunt calida pro comestione, et potu, videlicet pro comestione, granum vel frumentum, vel spelta et foenum; pro potu vero bibat aquam decoctam cum cimino, et semine foeniculi in bona quantitate, et postea aqua aliquantulum frigidata cum pauca farina frumenti misceatur decenter, tam diu vero patiens sitiat, quoad hujusmodi aquam bibat, et semper locum calidum usque ad convalescentiam repetit pro quiete, et tali utatur cura donec patiens liberabitur a dolore.

8. *De dolore ex superflua comestione.*

Fit dolor alius inter corpus equi ex superflua comestione hordei, vel alicujus sui similis indigesti intra ventrem vel stomachum equi tumefacti, inferens equo tumefactiones durissimas iliorum, affligens continue in tantum doloribus patientem, quod vix potest rectus adstare sub pedibus, quin cogatur quasi in terram jacere continue prae dolore; qui dicitur ex superflua comestione hordei tumefacti in ventrem.

Remedium contra.

Contra quem tale remedium impertitur; accipiatur malva, branca ursina, parietaria, mercorella, viola aequali quantitate, et decoquantur aequaliter in quo-

dam vase ad invicem, et in tali decoctione dissolvatur de melle in bona quantitate, et tantumdem de sale et oleo, et misceatur ibidem de furfure tritici, semper insimul omnia agitando; et deinde aqua decoctionis ponatur decenter in quodam utriculo cannello de canna vel de aliquo congrue grosso et longo decenter, habente ad modum cristeris, et per instrumentum illud dicta aqua in ventrem patientis per anum postmodum immittatur, ita tamen quod, quando immittitur, equus posterius quam anterius altior satis exsistat, ut aqua immissa per ventrem universaliter discurrere possit; statim vero immissa aqua in ventrem, anus sufficienti stuppa vel petiis oppiletur, ne aqua exire possit ullo modo sine licentia imponentis; postea autem ligno rotundo et bene polito venter patientis sufficienter ducatur a duobus hominibus, uno videlicet ex una parte equi, et alio ex alia exsistente, incipientibus ab anteriori parte usque ad posteriorem, ducendo lignum praedictum versus ventrem viriliter in premendo ventre, prius sufficienter uncto oleo universaliter calefacto; postquam autem venter fuerit bene ductus, decenter fricatus deoppilato prius ano, in tantum patiens parvo passu versus loca montuosa equitetur donec egerat vel emittat per anum omnia quae in ventre ejusdem immissa jam fuerunt, et de aliis magnam partem; et sic dolor instanter cessabit, quoniam cessante causa, cessare debet effectus.

9. *De dolore ex retentione urinae.*

Quidam alius dolor accidit intra corpus equi ex nimia et indebita retentione urinae vesicam inflans, inferens patienti torsiones et dolores multis modis incessanter sine tumefactione tamen aliqua iliorum et corporis, adducens vero circa locum virgae equi parvam inflationem quandoque, et hic cogit ilia satis et crebre ducere patientem; qui dolor ex retentione urinae superflua dicitur.

Remedium contra.

Contra praedicta expertus fui multoties remedia infrascripta. Accipiantur sanationes, curtana (1), pa-
rietaria, radices sparagi et brusci aequali quantitate, et insimul in aqua bulliant, et decoctis decenter, cum quadam fascia ampla et larga congrue ponantur calida circa locum virgae, involvendo dictam fasciam supra dorsum, prout melius videbitur expedire; et hoc fiat saepius quam poterit, illud idem quum frigidum fuerit calidum faciendum, et postea ponendo ibidem. Ad idem valet satis si virga patientis manibus unctis oleo extrahatur, et postmodum fricetur oleo tepido competenter, et deinde teratur aliquantulum piperis cum allio, et inter foramen virgae au-

(1) In MS. *circa*.

riculari digito imponatur, ad idem adhuc quod melius est cimicis triti et paulum cocti (1) cum oleo calido parum intra forum simile immittatur. Ad idem mirabiliter operatur, si patiens liber cum quodam jumento per stabulum dimittatur, de quo patiens necessario provocabitur ad urinam; et nota quod ultimum remedium, quod praedixi, contra dolores singulos utile reperitur, quoniam voluntas coitus vires corroborat et membra viriliter confortat.

10. *De inflatione testiculorum.*

Fit praeterea quaedam infirmitas equi, testiculos tumefaciens miro modo, quae accidit ex superfluis humoribus concursis ibidem; sed saepius accidit quum equus herbas comedit in veris tempore specialiter, quoniam tum propter humiditatem herbarum, tum propter tempus humidum, humores concurrunt, de levi ad infima loca sparguntur, unde equus patitur vehementer; et quandoque accidit ex nimio et immoderato labore vel superfluo onere intestina cadunt rumpendo illam pelliculam quae exstat inter intestina et testiculos equi, de qua similiter testiculi tumefiunt, et equo satis periculosum exsistit.

(1) *Croci* in aliis MSS.

Remedium contra.

Quibus talibus remediis assolet subveniri. Accipiatur videlicet acetum fortissimum, et creta alba trita, et agitentur in tantum ad invicem, quod fiat exinde velut pasta mollis immiscendo ibidem de sale bene trito, et de illa pasta involvantur testiculi universaliter et sufficienter, bis vel ter in die renovando eamdem. Ad idem valet satis si patiens teneatur mane et sero per condecens spatium diei in aqua frigida et velocissima, ita tamen quod aqua ad plenum testiculi madefiant. Ad idem valent fabae excoriatae et bene decoctae cum axungia nova porcina, et supponatur decenter calide universaliter propter inflationem praedictam. Si vero inflatio testiculorum fiat propter casum intestinorum, incapistretur patiens, et extracto laeso testiculo vel duobus, statim intestina ad locum suum interius emittantur, et decoquatur illa ruptura cum ferris latis circum circa decenter, et curetur in antea vulnus bursiculae testiculorum equi castrati; at in pluribus vero talis ruptura pelliculae supradictae, quae sic dicitur, incurabilis esse censetur.

11. *De equo infuso vel infundito.*

Est alia equi infirmitas, quae accidit ex comestione et potatione superflua, et quandoque ex immoderato labore, quoniam propter superfluum esum

humores et sanguis superflue augmentantur, et ita per crura equi sparguntur, unde detinent et impediunt gressus equi, et patiens cogitur claudicare ex uno pede vel duobus, aut singulis pedibus detinetur, nec non in suis egressibus crura gravissime removet, vel etiam in sua revolutione difficillime se habet; ex immoderato labore quandoque accidit, prout dixi, quoniam humores superflui vel sanguis superfluunt ad crura interius ex nimio equitatu, quia humores de facili discurrunt ad pedes vel ad ungulas patientis, nisi habeat tempestive auxilium opportunum; et quandoque fit dicta infirmitas quum aliquis praedictorum dolorum equum cohaeret in tantum, quod ex nimia fatigatione vel vexatione, aut calefactione, dolores, humores per membra leviter dissolvuntur, ad crura postmodum descendentes; et haec infirmitas infusio vulgariter appellatur.

Remedium contra.

Contra quam infirmitatem talis subventio praebeatur. Videlicet si equus pinguis fuerit et aetatis perfectae, statim eidem potus pro velle primitus praebeatur, postea vero de ambobus temporibus, et singulis cruribus de venis solitis usque quasi ad debilitatem corporis minuatur, humores commotos descendentes ad crura penitus removendo; deinde in aqua frigida currente velociter usque ad ventrem patiens totaliter imponatur, in qua assidue teneatur ipso ni-

hil bibente, et deinceps nec aliquid comedente donec ex toto fuerit liberatus. Si vero juvenis vel macer fuerit, non detur, ut dixi superius, aliquatenus sibi potus, sed in tantum cum freno alto in aere frigido alligetur, quod collum et caput cogetur extendere versus aerem quantum potest, et deinde rotundi lapides ad modum pugilli grossi sub equi pedibus imponantur, veluti si fuerit eidem cubile vel stratum, quoniam ex assidua oppressione lapidum rotundorum pedes et crura assidue sunt in motu, unde ex assiduo motu nervi crurium pigri propter humores ibidem concursos suam expellit gravedinem, ita tamen quod super lapides suos assidue premat pedes, eidem panno lineo aqua infuso primitus coopertus. Cavendo ipsum quod non comedat neque bibat, nec a sole ullo modo pertingatur, et praeterea cura utatur donec ad statum pristinum redigatur; et nota quod praedicta infirmitas vel infusio non nocet equis juvenibus, imo prodest, quoniam ob hoc propter humores concursos ad crura tibiae ingrossantur. Sed tamen aliqui provinciales dictae infirmitati solent taliter subvenire. Videlicet cum hordeo in aqua decocto in petiis satis calido posito, et ligato postmodum equi pedibus quatuor differratis, nec non equo hordeum ad libitum comedente.

12. *De pulcino seu de pulsivo.*

Fit et alia infirmitas accidentaliter equo eveniens circa pulmonem, et oppilans foramina adspirationis

pulmonis intrinseca, propter quam oppilationem equus vix potest emittere flatus, prout decet, sed fit eidem quaedam narium continua magna sufflatio, et crebra pulsatio iliorum: quod de levi accidit pingui equo ex importuni laboris subito interventu, quoniam arteriae equi pulmonis in parte oppilantur aliquando circa pulmonem ex calefactione pinguedinis liquefactae, quae aegritudo pulsivus vulgariter appellatur.

Remedium contra.

Contra infirmitatem equi pulsivi tale remedium imponatur. Requiratur in primis videlicet calida ad liquefaciendam substantiam pinguedinis coagulatae intra meatus pulmonis, prout superius jam expressi, cui fiet potio calida de subscriptis. Accipiantur caryophylli dragmae tres (1), gingiber, galanga, cardamomi ana dragmae tres, nuceria charvina cumini (2), seminis foeniculi in majori quantitate aliis supradictis; his omnibus bene tritis, et cum vino albo bono agitatis cum croci congrua quantitate distemperentur, omnia insimul agitando, totidem vitellis ovorum quantum fuerit tota alia potio intromissis ibidem; exagitantur praeterea omnia insimul immiscendo decenter, potio tamen sit tantum liquida, quod de levi glutiri valeat; quae potio imposita postmodum in quodam decenti cornu bovino pleno bis vel ter equo tenente

(1) In margine MS. additur *alibi sunt nuces muscatae.*

(2) Apud Rusium legitur *materiae camini.*

capite versus aerem sine freno, in patientis gutture immittatur cum cornu praedicto, ita quod ipsam bene et decenter deglutiat, capite equi suspenso, unius horae spatio transeunte, ut bene potio per interiora labatur, et deinde ducatur ad manum, aut parvo passu equitetur paulisper, ut incorporetur dicta potio decenter in interioribus patientis, ne ipsam per os vomere possit, ipso nihil bibente vel aliquid comedente per diem unum, et noctem, ne ob hoc occasione cibi vel potus impediatur dicta potio suum operare effectum. Secundo vero die herbas recentes comedat, vel cannarum frondes aut salices, sive recentia alia, quae haberi poterint, ut frigiditate herbarum recentium calor potionis in aliquo temperetur. Si praecedens infirmitas recens fuerit vel moderna, cura exhibitur praelibata. Si vero antiquata, quam incurabilem esse reor; tamen aliquando remedium invenitur, videlicet quod utraque ilia ferris decentibus decoquantur unicuique admodum crucis duas lineas faciendo, ut per coertionem ignis iliorum pulsatio minoretur, nec non et nares per longum decenter scindantur, quoniam levius trahit ad se aerem et remittit.

13. *De infustito.*

Est et alia aegritudo proveniens accidentaliter ad equi corpus, nervos attrahens, languores faciens per membra ejusdem, et quandoque parum tumoris adducens in corpore patientis, ita quod corium exsti-

ratum sive extensum in tantum obtinet, quod vix corium patientis potest capi digitis, sive stringi, nec non in suis ingressibus velut infunditus videtur multoties impediri, et quandoque oculos lacrimare; quod accidit quum equus sudatus superflue calefactus fuerit, et postmodum in loco frigido positus vel ventoso, quoniam per poros apertos ex calefactione ventus corpus et equi membra subintrat, et ita tam membrorum attractio, quam languor membrorum detinent et impediunt gressus equi; et hic dicitur vulgari vocabulo infustitus.

Remedium contra.

Cui potest tali remedio subveniri, prout multoties probabiliter sum expertus. Primo videlicet patiens in loco calido imponatur: deinde aliqui vivi lapides fiant calidissimi, prout poterint, sub ventre equi supponantur in terra, assumpto prius laneo panno grosso equi longitudinem et latitudinem superante, et equus a duobus hominibus, uno videlicet ex una parte et alio ex altera, teneatur, ita quod medium panni resideat super tergum equi, et postmodum paulatim et saepius aqua satis calida super dictis lapidibus adspergatur, et in tantum illa fumositas equi corpus praeoccupet et discurrat, donec corpus et membra rediganter universaliter in sudorem: subsequenter equum cum antedicto panno laneo, prout melius poterit, involvendo peroptime, cinguletur tam diu, quod sudor

ab equi corpore sit remotus. Sudore remoto praeterea butyro condecenter calido armenti vel oleo aut alio liquido unctuoso, saepe in die singula equi crura fricentur, vel fiat decoctio paleae frumenti, aristarum allii, cineris et malvarum, et cum eadem decoctione tantum calida quantum poterunt sustinere crura, et specialiter nervi saepe universaliter madefiant, equo interim a loco calido ullatenus non remoto, nec non semper pro victu calidis coutendo. donec ad statum pristinum redigatur.

Ad impinguandum equum (1).

Ut equus bene impinguari possit, accipe carnem testudinis, et fac eam bene bullire in aqua, et extrahe succum carnis, et de praedicta aqua immiscendo ibi furfurem dabis bibere: equus utendo praedicta aqua in brevi impinguatur, juxta velle. Ad idem valent fabae coctae, posito ibi sale, et hoc probatum est.

(1) Hoc Capitulum deest in Codice Farsetti Num. XVII, et in aliis etiam Codicibus a me perpensis; librarii itaque arbitrio invectum huc fuisse videtur. Legitur tamen in editione Veneta ann. 1492, et in Bononiensi ann. 1561 aliquantisper immutatum.

14. *De scalmato.*

Fit et alia infirmitas, equi interiora dessiccans, et corpus macerans, nec non olere faciens fimum equi veluti stercus hominis, et etiam illo magis; de quo creari solent aliquando in ano vermiculi rubei, sive albi, quod accidit equo ex macerie diuturna, et comestione etiam, parva largita quantitate, nec non ex corporis et crebra calefactione procedit; unde equus de levi impinguari non potest, nec etiam carnes assumere competentes; et haec infirmitas scalmatus vulgariter appellatur.

Remedium contra.

Cui requirenda et danda sunt humida, frigida temperate ad expellendam siccitatem interiorum diutius jam retentam, et ad humectandum corpus universaliter patientis. Fiat igitur decoctio de subscriptis, accipiatur videlicet herba violaria, parietaria, branca ursina, scarole, malva aequali quantitate, et insimul decoquantur, et immixto prius cum praedictis de furfure hordei competenter, et decoctis decenter, colentur insimul per quendam pannum decentem (1), postea vero etiam in aqua decoctionis praedictae butyrum in bona quantitate, et de cassia fistula totidem dissolvantur ibidem, et inde in anum equi parum calida talis deco-

(1) In MS. *in aqua*.

ctio immittatur cum instrumento vel utriculo superius enarrato, et fiat per omnia veluti in doloris capitulo est expressum; excepto quod ipsa aqua intromissa teneatur in equi ventre, quam diu poterit retineri, quoniam intestina et venter patientis potius humectantur, fiat potio praeterea de vitellis ovorum, et croco, oleo olivarum cum bono vino albo agitatis decenter, tantum vero de praedictis omnibus quantum de vitellis ovorum, et positis postmodum in cornu bovino bis vel ter detur patienti bibere, prout de pulsivo superius continetur. *Ad idem* alia cura ad hoc valet, videlicet patiens equus solus in quodam stabulo imponatur, et per duos dies vel tres aut amplius nihil comedat, neque bibat, post detur eidem comedere lardo salitus porcinus ad libitum voluntatis, quod tam propter longam famem diu habitam, quam propter lardonis salsedinem, de facili comedet et libenter, et comestis lardonibus supradictis sive parum, sive satis, detur patienti bibere aqua calida juxta velle, immiscendo prius ibidem farinam hordeaceam competenter; deinde equitetur paulisper donec ventrem evacuet de comestis, postquam vero patiens ventrem et intestina posterius evacuaverit, condecenter ex aliquo medicamine praedictorum et in statum pristinum redigatur; inter cetera alia comedenda detur ei comedere frumentum bene mundum cum aliquantulo salis et lardonis coctum, et ad solem vel alibi postea dessiccatum in quantitate videlicet trium jumellorum vel factarum vice qualibet, bis in die; antequam bi-

bat vero frumentum comedat antedictum, nam frumentum coctum, ut dixi, satis nutrit et reficit corpus equi, et sic equus de levi impinguabitur juxta velle.

15. *De infirmitate aragiati.*

Alia infirmitas in ventre equi efficitur rugitum faciens in intestinis, nec non cogens equum saepissime emittere stercora et indigesta et liquida velut aqua, et ita ob amissionem crebram stercorum patiens ventrem evacuat taliter quod, nisi adjuvetur, vix aliquid ex eo quod comedat in ventre remaneat, quin emittat. Quod quandoque accidit quum equus immoderate de hordeo vel de suo simili comedat et comesta non digerit prout decet, et illico multum postmodum cum festinantia equitatur, et contingit aliquando ex potatione aquae frigidae post comestionem hordei potatae sine aliquo intervallo, et quandoque propter festinum cursum vel galoppum, prius sumpta statim ab equo potatione pro velle, quum aqua exagitetur per viscera propter cursum; et multoties fit ex nimia inflatione corporis equi dolores habentis propter nimiam exagitationem ventris vel corporis, unde equus ex praedicta evacuatione ventris debilitatur, et in tantum quod vix potest a cruribus sustineri, quae infirmitas aragiatus vulgariter nuncupatur.

Remedium contra.

Contra infirmitatem equi aragiati, quae vix fit nisi in equo solummodo equitando ex nimia comestione hordei indigesti, solet totaliter subveniri. Quum videbis equum in equitando eumdem vel non equitando, quandoque bis vel ter stercus longius emittentem, velut aquam, et hordeum indigestum; tunc incontinenti auferatur eidem frenum, et sella, et penitus libere dimittatur abire pascendo, nec eumdem invitum ullo modo removendo donec decenter fuerit destipatus. Quoniam motus corporis intestina et ventrem exagitat. Unde equus cogitur infirmitate praedicta gestare plus solito stercora liquefacta. Herbas praeterea recentes si comedit equus, non modicum prodest. Quoniam ad digerendum sunt habiles, et debilitato equi stomacho occasione hordei praecedentis, plurimum sunt digestibiles: a potu postea quantum poterit caveatur. Quoniam aqua quum sit liquida, infirmitatem potius augmentaret, et hoc fiat donec equus ad convalescentiam redigatur: quandoque tamen accidit ex dicta infirmitate equum infundere, cui fiat per omnia ut in equi capitulo infunditi, sicut superius continetur.

16. *De cimoira.*

Est et alia infirmitas descendens ab equi capite antiquitus frigidati, proveniens ex cursu reumatis ex-

citati per nares continue velut aqua, humores frigidos adducentes, quae accidit leviter quum equus in capite frigiditatem detinet antiquatam, et aliquando ex infirmitate quae vermis dicitur volativus. Unde equus fere totam humorositatem capitis necessarie per nares emittet, et haec infirmitas cimoira vulgariter nuncupatur.

Remedium contra.

Dico de cimoira, quae accidit ex humoribus frigidis in equi capite antiquatis, vel ex alia causa, ut praedixi, quod statim fiat in equi capite lanea cooperta, et super loco calido coutatur, nec non eidem pro victu sunt calida exhibenda, tunc prodesse solet aliquando equo habenti infirmitatem praedictam, et assidue pascere herbas parvas; quoniam equo in terra flectente caput necessario, et crebre pro herba exstirpanda, pars maxima dictorum humorum a capite per nares discurrunt exterius. Et valet aliquando praedictae infirmitati si fumus petiae combustae vel bombycis veteris combustae subintrat cerebrum per nares, quoniam humores antiquitus coagulatos dissolvit. Ad idem valet petia linea in capite alicujus baculi stricte ligata, et postmodum sufficienter sapone saracenico illinita, et intus nares immissa quantum ire intrinsecus leve poterit, et immissa illico extrahatur. Quoniam ob hoc patiens ex crebra fumigatione evacuat cerebrum miro modo. Unde contingit aliquando praedictis medicaminibus patiens liberari, sed rarissime, ut pro-

bavi, quoniam talis infirmitas, ut in pluribus, quasi incurabilis judicatur.

17. *De frigiditate capitis.*

Fit et alia aegritudo dolores toto capiti equi universaliter inferens, storditiones adducens, tussim provocans, guttur similiter reprimens, prout dixi; oculos inflans, et quandoque eosdem faciens lacrimare, nec non quandoque ilia propulsare; quae de levi accidit quum equus in stabulo satis calido ponitur, et postmodum ad ventum subito demonstratur, quandoque ex aliis etiam frigiditationibus occasione aliqua jam retentis. Unde patiens tussire cogitur, et suae potationis vel comestionis maximam partem perdit. Quae infirmitas frigiditas capitis nuncupatur.

Remedium contra.

Cui commode succurritur tali cura. Videlicet quod illae glandulae, quae dicuntur vivulae, funditus decoquantur, adjacentes inter collum et caput, videlicet sub maxillis, cum ferro rotundo dictas glandulas perforando, et in medium frontis cum ferro rotundo in capite subtiliter decoquatur, ut humores ex frigiditate commoti exterius exire cogantur, nec non sectones sub patientis gutture subponantur, ut propter exagitationem sectonum humores dicti viam habeant exeundi; patiens praeterea in capite continue laneam

teneat coopertam, saepe butyrum intra suas auriculas immittendo, easdem fricando decenter extrinsecus. Ad idem valet oleum laurinum in una petia linea positum, et in morsu freni decenter ligatum equo bibente saepe cum freno; ad idem et sabina ligata in freno similiter operatur. Ad idem valet fumus panni linei combusti per nares receptus. Ad idem valet frumentum bene coctum et positum in quodam sacculo calido, ut pati poterit, et in capite equi ligatum, ita quod positis ore et naribus intra sacculum per nares fumum recipiat, et de grano comedat, si voluerit. Item ad idem prodest frumentum factum decoctione pulegii et sabinae receptum per nares prius patientis capite cooperto decenter. Item ad idem valet petia in capite alicujus baculi strictius ligata, postmodum sapone saracenico illinita decenter, et immissa postmodum intra nares quantum ire intrinsecus lene poterit, et immissa postmodum extrahatur; quoniam ob hoc equus ex crebra sternutatione evacuat cerebrum, emittens per nares humores liquidos velut aquam, quod suae liberationis est causa. Ad idem valet butyrum commixtum cum oleo laurino posito intra nares cavendo ipsum a frigidis, imo calidis coutatur, et bibat assidue aquam coctam calidam veluti in doloris capitulo continetur, et tali modo poterit liberari.

18. *De infirmitate oculorum.*

Accidit tamen quandoque quod ex praedicta infirmitate vel frigiditate capitis humores commoti concurrunt ad oculos, facientes qnandoque oculos assidue lacrimare, et quandoque caliginem, aut nebulam, vel turbedinem ad oculos adducentes, et aliquando pannum ad eosdem adducere consueverant, de quibus equus non valet perspirare prout condecet, vel videre; quae dicitur infirmitas oculorum.

Remedium contra.

Quibus aegritudinibus talia medicamina exhibeantur: in primis in oculo lacrimanti fiat strictorium in fronte patientis videlicet de olibano et mastice pulverizatis aequali pondere et ovi albugine agitatis super una petia positis, lata quatuor digitis et longa, quod ab uno tempore per medium frontem usque ad aliud protendatur ad altum, abraso tamen prius loco peroptime ubi strictorium poni debet, et intantum strictorium patiens teneat donec oculi desisterint lacrimare; quando levari voluerit strictorium; cum aqua calida et oleo leviter elevatur. Ad idem valet quod ambae venae magnae utrorumque temporum incidantur cum igne decenter. Si vero caliginati fuerint oculi ex percussione aliqua, vel ex reumatis interventu abstellactae super ambobus oculis imponatur quatuor di-

gitis deorsum, et deinde sal tritum subtiliter in oculis cum quodam cannello saepius immittatur. Si vero pannus in oculo fuerit, sive recens, sive antiquus, accipiatur os sepiae, tartarum, sal gemma aequalis mensurae, et subtilissime terantur ad invicem, et postmodum in cannello mittatur, et in oculo insuffletur bis in die: ad idem valet sal mixtum cum stercore lacertarum, et tritis insimul in oculis insuffletur: cavendum est ne ponatur superflue, ne oculi destruantur. Si vero pannus fuerit vetustus, cum pinguedine gallinae bis vel ter primitus inungatur.

19. *De malo oris.*

Accidit praeterea quod intra os equi efficitur quaedam infirmitas tumefactionis vel glandulae longae ad magnitudinem amygdalarum adducens utramque partem maxillarum intrinsecus coarctantes, et detinentes in tantum equi mandibulas vel maxillas, quod vix potest patiens mandibulas ducere solito pro comestione sumenda; et quandoque occasione praedicta totum os universaliter patientis inflatur intrinsecus, palatum specialiter in tantum tumefacitur patientis, quod vix comedere tentat ore. Ista infirmitas dicitur vulgariter malum oris.

Remedium contra.

Cui sic commode et salubriter subvenitur, si patiens totum os habuerit inflatum universaliter, statim

flebotometur de lingua, de venis videlicet quae abjacent subtus linguam, aperto prius patientis ore artificialiter prout melius videbitur expedire, et evacuato sanguine, prout poterit, accipiatur postmodum de sale bona quantitas, et totidem de tartaro, et terantur ad invicem, et de iisdem bene tritis fricetur decenter totum os intrinsecus universaliter patientis, infusis prius sufficienter sale et tartaro in aceto vel in vino fortissimo. Si vero propter minutionem et alia supradicta inter os dictae glandulae non decrescant, aperto prius ore patientis, ut dixi, illae glandulae ab utraque parte mandibularum funditus incidantur cum quodam unco (1) ferreo parvo carpendo easdem, et incisis vel exterius exstirpatis decenter statim fricentur vulnera cum sale, tartaro et aceto. Si autem palatum patiens inflatum habuerit, aperto prius ore, ut dixi, palatum cum lancetis bene cuspidatis incidatur per longum, et deinde fricentur vulnera palati fortiter cum sale non trito, et sic liberabitur praedictis omnibus coutendo.

20. *De laesione linguae.*

Laeditur praeterea lingua equi diversis occasionibus, et fiunt ibidem ulcera multimoda et diversa, quoniam laeditur ex morsu freni, et quandoque ex morsu dentium patientis, aliquando a quadam infirmi-

(1) In MS. *unto*.

tate, quae dicitur malum pinsanese (1). Unde affligitur et magnam partem suae comestionis amittit. Si vero laeditur ex transverso a dentibus vel a freno citra vel ultra medietatem linguae, reliquum linguae penitus incidatur, quoniam laesio illa transversa quasi incurabilis esse cernitur, de qua equus parum deterioratur si amittit aliquam partem linguae; si vero laesio fit transversa et parva, vel per longum linguae: fiat laesio parva sive magna, tale fiat unguentum eidem; accipiatur mel rubeum et totidem de medullis porcinarum carnium sallitarum, et aliquantulum calcis vivae, et tantumdem piperis pulverizati, quae omnia insimul mixta bulliant in tantum eadem agitando, quod fiat exinde utpote unguentum, et de tali unguento bis in die super ulceribus linguae sufficienter ponatur, ablutis prius ulceribus vino aliquantulum tepefacto; frenum patienti usque ad consolidationem nullo modo imponendo, et tali utatur cura donec ulcera linguae fuerint solidata. Si autem laesio linguae ex morbo mali pinsanese, quod dixi superius, cujus curam in suo loco subscribam, curato morbo, ulcera linguae curantur, quoniam occasione dicti morbi eveniunt.

(1) In MS. legitur modo *puncinese*, modo *puzonese*, alibi etiam *pizonese* et *ponsonese*.

21. *De laesionibus omnibus tergi.*

Dicto superius de infirmitatibus, quae fiunt accidentaliter in equi capite, et quae accidunt intra corpus, dicendum est amodo de laesionibus, quae equo eveniunt artificialiter super tergum. Fiunt igitur multae laesiones et diversae in dorso propter oppressionem ineptae sellae muniminis, et quandoque fiunt ex superfluo sanguine, vel humore velut vesicae parvae plenae sanguinis commixti putredine, quae rumpunt corium equi et carnem in dorso, et deinde efficiuntur vulnera plana parvula sive magna, quae omnes dicuntur vulgariter laesiones. Sciendum est tamen quod laesiones quanto propinquiores efficiuntur ossibus dorsi equi, tanto equo deteriores exsistunt, periculum aliquando corporis inferentes.

Remedium contra.

Quibus subvenitur remediis infrascriptis; et quoniam fere omnes laesiones praedictae habent principium a tumore, idcirco principiis debet obstari assidue tali modo, quod statim quod videbitur equus tumefieri in aliqua parte dorsi, peroptime cum rasorio illa tumefactio abradatur, et deinde fiat emplastrum de farina tritici estaminata decenter cum albugine ovi agitata, et superposita in quadam petia linea super tumefactionem praedictam universaliter extendatur, et deinde non removeatur emplastrum vel

petia violenter, sed quum leviter posse videbitur exstirpari, poterit removeri amota deinde petia. Si putredo fuerit congregata ibidem, corium cum ferro cuspideo aliquantulum, et decenter calido inferiori parte tumefactionis praedictae usque ad putredinem perforetur, ut putredo exinde possit penitus evacuari; post haec vero ungatur saepe cum aliquo liquido unctuoso. Item fiunt quaedam excoriationes vel rupturae corii in dorso oppositione alicujus oneris prout dixi, vel occasione alicujus baruli vel carbunculi ex superfluitate sanguinis nascentis in dorso, quae aliquando abradi debent peroptime circumquaque, et deinde super adspergatur quotidie pulvis calcis vivae cum melle commixtae, veluti in vermium capitulo superius edocetur, ablutis semper prius laesionibus, cum vino calido vel aceto cavendo patientem a sella, vel sui simile alicujus, donec laesiones fuerint decenter solidatae. Sciendum est tamen quod ubicumque fiunt tumefactiones in dorso, semper prius abraso, decenter postmodum cum emplastro farinae tritici agitata cum ovi albugine debet subveniri, ut superius est expressum, nec non in omnibus planis excoriationibus vel laesionibus solidandis supponi debent subscripti pulveres: videlicet myrtum siccum et pulverizatum, et tantumdem valet lentiscum pulverizatum vel galla levis pulverizata. Ad idem valet petia combusta vel corium aptatum combustum aut filtrum combustum. Ad idem facit putredo ligni antiquitus putrefacti. Nota vero quod super aliis pulveribus su-

pradictis pulvis de calce et melle mirabiliter ad consolidationem corium operatur, ante tamen oppositionem pulverum praedictorum, semper prius laesiones ablui debent decenter vino calido vel aceto. Sed ut pili post consolidationem carnium renascantur, testa avellanae vel testudinis aut bombycis vetustate combusta, similiter et pulverizatae decenter, et cum oleo agitatae saepius ulcera inungantur, et, quod melius est, carta bombycina vel carnes combustae et cum oleo similiter agitatae; et nota quod sal sufficienter infusum in aqua, vel, quod melius est, in aceto fortissimo satis reprimit et consumit tumefactionem factam in dorso.

22. *De laesione corii.*

Fit subsequenter quaedam laesio in equi corio, aliquando rumpens et mortificans aliquam partem corii dorsi equi, fodens dorsum usque ad ossum multoties, quae ex nimia et frequenti sellae oppressione efficitur, vel alicujus oneris supra dorsum equi impositi importune, quae laesio corius vulgariter appellatur.

Remedium contra.

Contra quam tali utitur remedio. Accipiatur folium cauli, et cum axungia veteri porcina teratur decenter, et desuper corium postmodum imponatur, sella vel pannello imposito strictius cinguletur, ut pre-

mat medicina versus corium. Ad idem valet scabiosa vel malvaviscus cum axungia veteri tritus, et simili modo superponatur. Illud idem facit superpositus cinis calidus cum oleo agitatus. Ad idem valet fuligo cum sale minuto et oleo insimul agitato. Ad idem stercus hominis recens, et superpositum multum valet; et nota quod corius cito cadit radicitus, si equus equitatur cum sella, superposito prius medicamine aliquo praedictorum, et medicinas saepius renovando; devulso corio praeterea, et radicitus exstirpato, vulnus corii praedicta stuppa incisa minute, et postmodo involuta sufficienter de pulvere calcis, et mellis totaliter impleatur, abluto prius decenter vulnere cum aceto vel cum vino forti aliquantulum tepefacto, et hoc fiat bis in die, donec vulnus fuerit solidatum. Cavendum est tamen ne aliquod pondus superponatur in tergo patientis, donec carnes vulnerum corio fuerint coaequales.

23. *De pulmone.*

Fit praeterea alia laesio in equi tergo faciens inflationes immensas, deinde carnes generatas ibidem putrefactas, quae similiter ex oppressione indecentis sellae vel alicujus superflui super tergo oneris frequentati; eo quod quando inflatio supradicta veterascit, et in dorso putrefactiones aut carnes infectas adducit, et quandoque juxta ossa putrefactio antiquata efficitur quaedam coagulatio carnis infectae rumpens

carnem et corium desuper, deinde ejiciens continue putredinem vel aquam; et haec laesio dicitur vulgariter pulmonus.

Remedium.

Cui sic assolet subveniri: videlicet quod pulmo ille vel laesio circum circa funditus incidatur, et exterius exstirpetur, et inciso vel exstirpato radicitus scindatur laesio ubi magis dependet, ut nihil putredinis possit in vulnere retineri, postea superponatur stuppa in albugine ovi infusa decenter usque ad tertium diem semel in die mutando, deinde vero fiat per omnia usque ad consolidationem carnium prout de corii vulnere est praedictum. Salubrius tamen et levius curatur cum pulvere resalgaris, veluti in infirmitate vermium jam praedixi, quandoque sine incisione aliqua medicatur equo dolorem minime patiente.

24. *De spallatiis.*

Est et alia laesio, quae fit tergo tumefactiones adducens in summitatem spallarum equi, faciens quamdam callositatem carnium supra spatulas dorsi superficiem superantem tumefactionem praedictam eidem antiquitus imminentem, quae accidit similiter ex nimia oppressione, ut dixi; et haec spallatiae dicuntur, nomen ex opere assumentes.

Remedium contra.

Quibus fiat per omnia sicut dixi superius de pulmone. Si vero spallatiae fiunt durae, mollificentur cum malvavisco et cum caulis tritis cum axungia porcina veteri; vel absinthio, parietaria, branca ursina mixtis cum praedicta axungia, et bene tritis, et postmodum decoctis in olla et suppositis. Istud tamen mollificativum fiat antequam spallatiae incidantur, vel resalgare super adspergatur, ut dixi.

25. *De barulis vel carbunculis.*

Fiunt vero baruli vel carbunculi in equi tergo ex superfluitate sanguinis vel humoris, de cognitione quorum et cura eisdem salubriter facienda in capitulo tergi laesionum superius requiratur, quoniam ibidem curae et eorum remedia edocentur.

26. *De scabie vel pruritu.*

Contingit praeterea quod in collo equi juxta garese et in trunco caudae efficitur quaedam scabies vel pruritum, evellens crines radicitus patientis, et etiam interim patiens fricare cogitur superficiem colli, et truncum caudae, quod quandoque excoriatur ex toto; quod accidit ex superfluitate sanguinis, et aliquando ex malis humoribus, et haec infirmitas pruritum vulgariter appellatur.

Remedium contrà.

Contra quod sic doceo subvenire; flebotometur patiens in vena consueta colli sufficienter, deinde fiat hoc unguentum contra pruritum et scabiem mirabiliter approbatum. Accipiatur sulfur vivum et totidem de sale et tartaro, et terantur decenter ad invicem tritis, postmodum coagitentur cum aceto fortissimo, et totidem de oleo, et coagitatis insimul, usque ad spissitudinem utpote unguentum. Locus pruriti vel scabiei patientis tali unguento bis in die sufficienter ungatur, prius loco pruriti vel scabiei scalpto et gratato in tantum universaliter quod quasi sanguinet, et tali utatur unguento donec patiens liberabitur a pruritu. Ad idem valet acetum fortissimum mixtum cum urina pueri et succo citranguli in praedicto modo super morbo inunctum. Ad idem valet lithargyrium pulverizatum agitatum paulatim cum aceto fortissimo et aliquantulum olei, et superpositum postmodum, ut praedixi.

27. *De malferuto in lumbis.*

Est praeterea quidam morbus in lumbos equi eveniens, dolores in lumbos equi vel in renes inferens, attrahens nervos lumborum et renium incessanter, quod casualiter accidit subito ex superfluitate malorum humorum, et quandoque ex frigiditate jam diu assumpta, et saepius accidit propter immoderatum et superfluum onus in equi tergo improvide positum.

Undè equùs vix potest se ex parte posteriori erigere, nec etiam crura decenter levare, et hic morbus vulgariter dicitur malferutus.

Remedium contra.

Contra quem dico, quod renes vel lumbi patientis equi prius peroptime abradantur, deinde fiat ibidem strictorium tali modo: Accipiatur pix navalis liquefacta decenter, in quadam aptata pellicula extendatur ad longitudinem et latitudinem renium vel lumborum, et deinde accipiatur bolum armenicum drachmae duae, ammoniacum, pix graeca, galbanum, olibanum, mastice, sanguinis draconis et gallae omnium pondere coaequali, quae terantur, ut condecet, et pulverizatis et immixtis ad invicem; postmodum super adspergatur universaliter super pice praedicta prius tamen aliquantulum calefacta, et adspersis postmodum pulveribus supradictis, pellicula illa superponatur super abrasis renibus patientis, et non removeantur exinde, donec levissime poterit removeri. Ad idem adhuc aliud strictorium quod est melius edocebo. Accipiatur consolida major, bolum armenicum, galbanum, ammoniacum, pix graeca, mastice, olibanum, sanguis draconis, sanguis equinus recens sive siccatus, tantum vero de mastice et pice graeca, olibani quantum de omnibus aliis, et pulverizentur, et pulverizata per se vel insimul, et deinde coagitentur decenter ad invicem cum sufficienti ovi albugine et

bona quantitas farinae tritici immisceatur ibidem, coagitatis postea omnibus sufficienter ad invicem supponantur super petia una forti linea, et mixturam praedictam super eadem universaliter extendendo, et fiat per omnia veluti de praecedenti emplastro sicut superius edocetur. Item ad idem verumque ultimum remedium est, renes vel lumbi patientis decenti ferro calidissimo decoquantur, crebras et multas lineas faciendo per longum videlicet ex transverso ex una parte renum ex altera procedentes. Quoniam supradicta emplastra renes consolidant, humores constringunt, nervos mitigant, nec non ignis carnes constringit, humores deprimit et coarctat. Unde est verissime, quod equus malferutus ex aliquo medicamine praedictorum remedium debeat invenire.

28. *De laesione ancae, vel de sculmato.*

Efficitur et alia equi laesio casualiter commovens aliquando vel separans caput ancae a loco, ubi consueverat naturaliter commorari, quod leviter accidit in gressibus equi vel cursu, quum pes equi labitur ultra velle, vel quum pes versus terram premitur indirecte; quandoque contingit quando pedes posteriores retinis anterioribus vinculantur casualiter, quod dicitur sculmatus accidentaliter in vulgo.

Remedium contra.

Contra quam laesionem tale poteris remedium impertiri, videlicet quod stellecta conveniens sub laeso capite ancae per unum summissum ponatur, ut humores ad laesionem concursi propter dolorem per stellectam viam habeant exeundi, locum stellectae circum circa manibus in die saepe saepius imprimendo, ut putredo possit citius ad exteriora deduci, nec non removeatur equus parvo passu prout poterit hinc inde ut levius humores confluant ad stellectam propter motum, deinde fiat strictorium tali modo. Accipitur pix navalis et pix graeca, olibanum, mastice et aliquantulum sanguinis draconis, tantum vero de pice navali quantum de omnibus aliis, et pulverizatis decenter cum pice navali omnia insimul liquefrant, et deinde illa mixtio, tantum calida quantum pati poterit, superponatur in capite ancae laesae, mixturam praedictam per laesionem universaliter extendendo; postea vero statim stuppa minuta incisa sufficiens superadspergatur ibidem. Ad idem satis valet si imponantur in loco laeso sectones ad crucem, ut coagitando sectones assidue, prout decet, expellantur humores praedicti ibidem concursi. Ad idem, quod ultimum remedium judicatur, quod locus laesus ancae praedictae tam per longum, quam ex transverso decentibus lineis decoquatur, quoniam ignis naturaliter humores restringit, ut superius est expressum, et sic laesioni praedictae remedium invenitur.

29. *De spallato seu de laesione spatulae.*

De laesionibus quae fiunt in spallis equi simili modo accidit velut de anca praedixi: additur tamen in laesione spatulae, quae quandoque accidit ex ictu calcium alicujus equi ferientis eumdem. Quae laesio spallatus dicitur.

Remedium contra.

Contra quam fiat per omnia veluti salubriter docui in ancae laesae capitulo praedicto.

30. *De laesione falcis.*

Accidit autem quod falx equi diversis occasionibus laeditur ex percussione videlicet in aliquo loco duro, et quandoque ex percussione calcis alicujus sui similis, et aliquando ex aliquo trunco ligni vel spinae intrantis ibidem, de quo falx equi praedicta laeditur, et quandoque universaliter pertumescit; et quia falx equi locus delicatus exsistit et nervosus, parum carnosus, quum equus ibidem laeditur ex aliquo praedictorum affligitur, et patitur exinde vehementer, quod falcis laesio vulgariter appellatur.

Remedium contra.

Et sic provide et cum diligentia subvenitur. Si laesio vel tumefactio falcis fiat ex percussione in aliquo duro loco vel calce alicujus equi, ut dixi prius, tota laesio vel tumefactio universaliter abradatur; deinde accipiatur absinthium, parietaria, branca ursina de foliis eorum quantum tenerrimum est aequaliter, et terantur insimul decenter cum axungia veteri porcina in bona quantitate, et positi postmodum in quodam vaso mundo bulliant insimul decenter immiscendo ibidem aliquantulum mellis, olei et farinae tritici assidue insimul omnia agitando donec optime decoquantur, et decocti decenter superponantur tantum calida quantum pati poterit super laesionem falcis praedictae, eadem cum quadam decenti petia alligando, et hoc in die ter vel quater aut amplius, si expedierit, remutetur. Ad idem valet satis succus absinthii et apii, et tantum de cera quantum de axungia veteri, et aliquantulum vini albi et olei, et bulliant ad invicem omnia agitando et immiscendo ibidem de farina frumenti, et decocta decenter superponatur super tumefactionem falcis modo praedicto. Ad idem valet succus absinthii cum melle, butyro et oleo aequali mensura agitati, et cum farina frumenti postmodum decocti decenter omnia insimul agitando superpositi, prout dixi. Si vero laesio falcis fiat ex aliquo trunco vel spina intrante ibidem, curetur per

omnia velut in curis vulnerum spinae vel alicujus ligni, inantea quum locus adverterit, edocebo. Si vero illa tumefactio falcis putredinem generaverit, quae de more accidit in infima parte tumoris vel ubi magis dependet, putrefactionem ferro cuspideo decoquatur, perforando eamdem, ut congregata putrefactio exinde evacuetur. Ex toto deinde vero inungatur laesio butyro quotidie bis in die vel aliquo alio unctuoso. Si autem modo aliquo in suprossum durum illa laesio redigatur, supra superficiem corii laesio cocturis decentibus decoquatur.

31. *De gravedine pectoris.*

Accidit quandoque quod pectus equi aggravatur in tantum quod anterius videtur in suo egressu aliquantulum impediri ex superfluitate sanguinis, quandoque ex superfluo et immoderato labore, aut ex inopportuno onere imposito super eum, quod dicitur vulgariter gravedo pectoris.

Remedium contra.

Cui tali dico remedium impertiri, videlicet quod patiens sufficienter de consuetis venis ab utraque parte pectoris minuatur, deinde sectones decentes sub patientis pectore subponantur, coagitando eosdem decenter, quotidie bis in die ut in vermium capitulo jam expressi, patiens vero sectones in pectore defe-

rat quindecim dierum spatio transeunte, et sic patiens ad statum pristinum reducetur.

32. *De laesionibus crurium et ungularum.*

De laesionibus tergi et corporis capitulo completo subsequenter de morbis vel laesionibus, quae cruribus et pedibus vel ungulis accidentaliter sive artificialiter accidunt amodo enarrabo, nec non et causas adversantes easdem postmodum edocebo.

33. *De jarda in garecta.*

Licet morbus qui dicitur jarda naturaliter aliquando ad garecta crurium equi eveniat, non minus tamen accidentaliter saepius accidit juvenibus equis, laboribus immoderatis oppressis et crebris equitatibus festinatis propter debilitatem et teneritatem eorum; citius tamen accidit in garectis equi immoderate vel superflue impinguatis, quum oporteat eumdem in equitando subito fatigari, quoniam propter laborem subitum tum propter immensam pinguedinem, et calefactionem assumptam dissolvuntur humores de levi et facilius postmodum ad crura descendunt, et concursis de more fit quaedam tumefactio in garectis ad magnitudinem nucis, vel major quandoque, tam interius quam exterius, vel solum: modo interius, quandoque ex utroque, velut jam diutius enarravi (1), et haec dicitur jarda vulgari vocabulo.

(1) Vide Cap. *De aegritudinibus naturalibus et accidentalibus venientibus* pag. 20.

Remedium contra.

Contra cujus infirmitatem remedium sequitur edoceri, videlicet quum videbitur jarda illa vel tumefactio fieri in garectis, ut dixi, statim subveniatur decenter cum ferrorum decoctione decenti per longum et per obliquum in loco tumefactionis praedictae, tum cocturas congruas faciendo, et jardis decoctis decenter, accipiatur stercus bovinum recens cum oleo calido agitatum, et super cocturis abundantius imponatur semel tantum et non amplius: deinde equus decoctus retinis et pedicis undique tam anterius quàm posterius taliter alligetur ut cocturas praedictas nullo modo carpere possit ore, nec etiam ad alium pedem fricare easdem, nec in aliquo loco duro, ne cocturas discoriari valeat violenter, eo quod propter pruritum assiduum cocturarum equus avidus fricaret locum decoctum, vel morderet, subindeque attingeret quocumque modo; ne cocturae tangantur a sordibus vel ab aqua, et a die suae coctionis usque ad diem undecimum hoc fuerit diligentius observandum, cocturas in die tantummodo inungendo oleo aliquantulum tepefacto; et excoriato vel separato tantummodo corio a lineis cocturarum, quod fit cocturis ceteris, novem vel decem dierum spatio crescente, equus in aqua frigida et velocissima teneatur, ita tamen quod aqua suppuret et tangat cocturas ad plenum a summo mane usque ad mediam tertiam; deinde equo extracto

vel remoto ab aqua, super lineas cocturarum subtilissimus pulvis terrae et cinis silicis adspergatur: haec fiat in sero. Similiter ab hora videlicet vespertina teneatur in aqua usque ad solis occasum, et super adspergatur saepius, ut dixi, pulvis et taliter fiat mane et sero donec ulcera ignis consolida venerint condecenter, quoniam velox et frigida aqua humores dessiccat, ulcera ignis solidat et constringit; et nota quod equus in aliqua parte sui corporis per aliquam infirmitatem coctus debet caute et diligentissime custodiri ne cocturas mordeat vel fricet in aliquo loco, quoniam propter pruritum cocturarum evenientem ibidem usque ad nervos vel ad ossa, se corrodet dentibus, et mordet.

34. *De spavanis.*

Fit et alia laesio sive morbus circa garecta ex latere interiori, videlicet subtus garectum vel paullulum inferius quandoque tumorem adducens circa venam magistram, quae dicitur fontanella, trahens ibidem humores assidue per venam praedictam, unde equus quum fatigatur exinde cogitur non modicum claudicare, quod accidit equo per omnia velut jarda, et hic morbus spavanus nuncupatur.

Remedium contra.

Quibus tale remedium impertitur, videlicet quod quum illa tumefactio, quam praedixi, subtus garectum equi efficitur parte inferiore garecti, statim prius allaquectur decenter sursum in interiora parte coxae patientis vena dicta fontanella, quae tendit inferius per medium spavani, adducens ibidem humores continue et tumefactionem quae superius est expressa, et laqueata dicta vena concisa, postmodum, prout decet, evacuetur sanguis in tantum quousque per se vena sanguinem non emittat; deinde statim tumefactio spavani per longum et per obliquum cocturis decentibus decoquatur, postea vero fiat per omnia sicut in jardae capitulo continetur.

35. *De curba.*

Fit praeterea alia aegritudo equo subtus caput garecti in magno nervo posteriori eidem tumefactionem aliquando faciens per longitudinem nervi praedicti, indignans continue nervum et laedens; et quia idem nervus quasi totum sustinet corpus equi, exinde necessario claudicatur in egressu; quae accidit quum equus indebite junior equitatur, saepius quod contingit ex incongruo onere eidem supposito importune nervus cogitur incurvari, et ob hoc quoque dicitur curba assumens ex opere suum nomen.

Remedium contra.

Cui salubriter et decenter subscripto remedio subvenitur, videlicet quum ille nervus laesus incipiens a capite garecti tendens inferius juxta pedes in posteriori parte cruris, unde videbitur aliquando incurvari, vel plus solito ingrossari; tunc instanter tumefactio nervi praedicti tam per longum quam per obliquum crebris cocturis et decentibus decoquatur, et deinde fiat per omnia sicut in jardae capitulo expressi. Sciendum est tamen quod ubicumque cocturae in cruribus equi afficiuntur, fiant lineae cocturarum per longum et per obliquum, veluti pilus equi descendit vel tendit inferius, quoniam cocturae per longum et per obliquum compositae vel factae magis cooperiuntur a pilis et minus apparent, quam quae fiunt improvide ex transverso, et minus equum offendent si forte cicatrices cocturarum nervus aliquis crurium tangeretur ab igne.

36. *De spinula.*

Fit similiter quidam morbus subtus garecta circa juncturas ossium ejusdem garecti in utroque latere, et quandoque in uno tantummodo supraos durissimum, creans ibidem ad modum magnitudinis avellanae, quandoque magis, quandoque minus, quandoque supraos in tantum juncturas reprimit praelibatas quod

equus multoties exinde cogitur claudicare; qui morbus simili modo equo accidit, ut de curba superius est expressum; cujus nomen vulgariter spinulae nuncupantur.

Remedium contra.

Quibus tales curas sequitur exhiberi videlicet, quod praedictis fiant cocturae crebrae et decentes per longum et per obliquum, prout melius videbitur expedire: deinde curentur spinularum cocturae per omnia, velut superius continetur. Et nota quod quum ignis sit ultimum remedium omnium medicamentorum equorum, semper lineae cocturarum fieri debent profunde vel decoqui funditus competenter, ita quod non oporteat patientem ad ignis remedium iterare.

37. *De supraossibus.*

Fiunt praeterea in equi cruribus plurima, et supraossa diversa ex diversis occasionibus ad ossa crurium, accidentia quandoque ex calce alicujus sui generis, et quandoque ex percussione in aliquo duro loco casualiter, quae ut in pluribus non tantum equo nociva exsistunt quanto crura fiunt turpissima ad videndum; et haec supraossa dicuntur in vulgo, et non solum efficiuntur in cruribus, sed etiam in pluribus ossibus equi casualiter contingunt, quae supraossa fere omnia initium capiunt a tumore.

Remedium contra.

Quibus omnibus sic assolet salubriter subvenire, videlicet quum omnia supradicta supraossa incipiunt se fieri ex quadam callositate carnium, eveniente ex percussione aliqua quae fit ossi, statim quum videbitur, illa callositas peroptime universaliter abradatur, deinde accipiatur absinthium, parietaria, apium, branca ursina de eis quod tenerrimum est et terantur insimul cum axungia veteri porcina sufficienti, et postea decenter ad invicem decoquantur, sed decocta tantum calida quantum pati poterit supponatur super inflationem vel callositatem praedictam, ligando easdem decenter. Et nota quod mollificativum praedictum multum valet ad omnes inflationes crurium ex percussione aliqua accedenti. Item ad eamdem callositatem penitus destruendam valet radix malvavisci, et radix lilii et radix tassibarbasci cocta cum sufficienti axungia, et decocta postmodum cum petia superposita ad modum emplastri, eosdem saepius renovando. Ad idem valet caepe assatum tritum decenter cum lumbricis terrestribus, et cum oleo postmodum agitatum et decoctum superponatur calidum: et quodlibet praedictorum quod superpositum fuerit bis vel ter renovetur in die. Si vero illa callositas non sit recens, sed vetusta et dura, abrasa prius decenter, ut dixi, cum lanceta decenti scatazetur sive scarificetur minute, ut sanguinet quoquo modo. Deinde tantum salis quan-

tum tartari triti subtiliter ad invicem super callositatem illam universaliter apponantur, ligati cum una petia strictius usque ad tertium diem: postea dissolvatur, et ungatur butyro vel aliquo untuoso. Item ad idem abraso, prius ut dixi, ovum accipiatur, in carbonibus usque ad duritiem decoquatur, et mundatum postea a cortice calidissime super praedictam callositatem ad modum placentulae strictius alligetur, et ita usque ad diem tertium ovum bis in die tantummodo removeatur et amplius si videbitur expedire. Item ad idem valet stercus caprinum cum farina hordei et creta in aceto *fortissimo* agitata, et postea superposita ad modum *emplastri*. Si vero tumefactio vel callositas illa duraverit, et dictorum medicamine modo aliquo non decrescat, sed in supraossum penitus redigatur, aut supraos exsistat antiquatum cum cocturis decentibus, quod est ultimum remedium, succurratur.

38. *De attinctione sive attincto.*

Fit et alia laesio casualiter de nervo magno cruris anterioris nervum laedens acriter et indignans quandoque eumdem tumefactiones vehementer quod de levi accidit in equi egressibus vel in cursu, quoniam equus percutitur acriter a pede posteriori in crure anteriori in nervo videlicet praelibato; unde patiens necessario claudicat ab eodem, quod attincto vel attinctio appellatur.

Remedium contra.

Cui mediante subscripto remedio succurritur, quod statim quum talis nervus percussus vel laesus ex causa praedicta tumescit et patitur, tunc a vena consueta super genua paululum adjacente in interiori parte videlicet minuatur, evacuando humores ad loca dolentia more solito concursis. Deinde fiat subscriptum mollificativum vel humectativum valens contra indignationem et tumefactionem nervorum. Accipiatur foenum graecum, semen lini, squilla, trementina et radix malvavisci aequali mensura, et ad invicem cùm sufficienti axungia porcina veteri terantur decenter, et incorporentur insimul. Postea vero bulliant coagitando easdem sufficienter assidue: decoctae superponantur decenter calidae super longitudinem nervi laesi, et cum quadam ampla petia congrue alligentur illa bis in die tantummodo renovando. Ad idem satis valet caepe assatum tritum cum lumbricis terrestribus et lumacis et cum butyro liquefacto, et postmodum ad invicem agitatum, usque ad spissitudinem decoquantur coagitando eadem in tantum ut exinde utpote unguentum fiat, et deinde abraso prius nervo per longum, ter in die de praedicto unguento nervus laesus totaliter inungatur. Si vero cruris attinctio sit vetusta, flebotometur de vena consueta quae jacet inter juncturam et pedem ex latere interiori vel exteriori videlicet, et fiant postmodum medicinae quas

superius enarravi. Si vero medicinis jam dictis utendo per aliquot dies parum aut nihil proficiant, tunc nervo laeso cruris circum quaque abraso fiat strictorium de pulvere rubeo, et ovi albumine et farina, prout jam docui in maleferuti capitulo praecedenti: crus per longum ubi laesio exstat canabo vel lino cum praedicto strictorio involvendo, quod non removeatur exinde nisi novem dierum spatio transeunte. Postea vero cum aqua decenter calida strictorium a crure cautius elevetur inungendo nervum semper aliquo unctuoso, et si omnino dicta omnia non valent, cocturis ibidem succurratur.

39. *De gallis.*

Efficiuntur gallae praeterea circa juncturas crurium juxta pedes, licet naturaliter eveniant prout dixi; saepius tamen accidunt gallae ex fumositate fumi stabuli cruribus madefactis humores naturaliter dissolutos. Et quandoque contingit ex immoderato et superfluo equitatu, quum equus junior fatigetur.

Remedium contra.

Consuevere quandoque aliqui gallas curare subscripta manerie, quam supponam, videlicet quod scindi debeatur cum lanceta corium loci gallae, vesicam illam vel tumefactionem de qua fit galla extrinsecus eamdem ungulis excarnando cautius exstirpabant; vel

scisso prius corio cum lanceta, tunc resalgari pulverizato intromisso talem vesicam penitus destruebant. Sed tamen expertus sum quod pluries subtiliter inquirendo exstirpata vel destructa galla ab equi junctura vel cum resalgari penitus dissipata iterum ad juncturam de more humores concursi gallas generabant; et sic gallae exinde non bene, nec congrue curabantur: curae praedictae equis periculosae non modice existebant, quoniam locus juncturae cruris nervos exsistit, et crebris arteriis vel venis interius undique intricatis, idcirco timendum est incisionem carnium ibidem facere quocumque modo. Sed quod melius et salubrius est, subscriptam experientiam bene doctus quod equus gallosus videlicet usque genua diu mane et sero in aqua velocissima et frigida teneatur, et hoc per aliquot dies fiat donec gallae coartentur modo aliquo, et decrescant propter coartationem aquae frigidae et velocis; deinde circum circa juncturam glandulae undique circumdatam fiant tam per longum, quam per obliquum cocturae decentes, quae cocturae curentur postmodum veluti superius est expressum; et ita tum propter disseccationem et coartationem aquae praedictae, tum propter corrositatem acrissimam cocturarum gallae augmentari non valent in antea, sed decrescunt.

40. *De grappis.*

Fiunt quoque aliae infirmitates circa juncturas crurium juxta pedes corium rumpentes ibidem nec non carnes per longum, et quandoque ex transverso de more scindentes per scissuras suas continue extrinsecus emittentes putredinem vel aquam patientem *ardore* assidue taliter affligentem, quod patiens cogitur exinde claudicare: quod accidit ex superfluitate malorum humorum descendentium ad crura de more, prout superius est expressum, et hae grappae nuncupantur.

Remedium contra.

Contra quas tali cura utatur salubriter quod prius pili juncturae universaliter patientis subscripta manerie depilentur; videlicet accipiantur tres partes calcis vivae et quarta pars auripigmenti, et tritis decenter ad invicem cum aqua calidissima agitentur, et tam diu agitando easdem insimul decoquantur, quod penna gallinae intromissa ibidem depiletur instanter, et de tali decoctione abundanter junctura laesa grapparum universaliter inungatur tantum calida quantum patiens poterit sustinere, et ita postmodum circa juncturam laesam illa decoctio dimittatur ibidem quousque pili juncturae praedictae sine difficultate aliqua depilentur, postea vero cum aqua calida sufficienter grappae vel juncturae universaliter abluantur ut pili

cadant penitus exinde; et deinde pilis depulsis, ut dixi, laventur grappae decenter cum aqua decoctionis malvarum, furfuris et sebi arietini, substantia quorum ligetur postmodum cum quadam petia ampla circumcirca laesam juncturam a sero usque mane et converso; postea vero fiat unguentum de sebo arietis et cera nova et resina vel gumma copias aequali tamen mensura de omnibus, et bulliant ad invicem agitando easdem, et de tali unguento aliquantulum calefacto quotidie bis in die cum quadam penna gallinae sufficienter grappae inungantur, ablutis prius scissuris grapparum vino forti aliquantulum tepefacto et postmodum dessiccatis dicto coutantur unguento, donec scissurae grapparum fuerint solidatae cavendo patientem semper a sordibus vel ab aqua, et consolidatis grapparum ulceribus, prout dixi, allaqueetur et incidatur vena magistra in anteriori parte coxae, videlicet ut in capitulo spavanii continetur, et evacuato de vena sanguine prout decet, junctura laesa grapparum crebris cocturis et decentibus universaliter decoquatur, et cocturae curentur postea congrue prout supra. Sciendum est tamen quod talis grapparum infirmitas ut in pluribus perfecta vel congrue vix curatur.

41. *De crepatiis.*

Fiunt quoque similiter aegritudines inter junctu-
ram cruris et ungulas, et corium rumpentes et carnes ibidem ad similitudinem scabiei, ardores infe-

rentes multoties patienti, quae ex fumositatibus stabuli, quas praedixi, madefactis cruribus, et indecenter tersorio dessiccatis, solent quam pluries obvenire, et hae crepatiae vulgariter appellantur.

Remedium contra.

Quibus eodem modo dico fieri per omnia prout docui in grapparum capitulo praecedenti, excepto quod vena nullo modo laqueatur, nec etiam crepatiae cocturis aliquibus decoquantur. Sed tamen in praesenti capitulo additur quod evulsis prius pilis modo praescripto, subscripto utatur unguento, quod mirabiliter contra crepatias operatur. Accipiantur videlicet de fuligine drachmae V, de viridirame tres, de auripigmento I, et tantum de melle liquido quantum de omnibus supradictis, et insimul tritis, et postmodum agitatis decenter usque ad spissitudinem decoquantur immiscendo ibidem aliquantulum calcis vivae easdem semper cum spatula agitando donec efficiatur utpote unguentum modo superius enarrato cavendo semper a sordibus, prout dixi. Et nota quod unguentum praedictum non debet apponi ullo modo super crepatias, nisi prius crepatiae ablutae vino peroptime dessiccentur. Ad idem satis valet si crepatiae praedictae fortiter cum sufficienti urina puerili saepius fricentur. Ad idem valet satis citrangulum vel lumia decocta in primis quasi usque ad consumptionem, postea fricare ad crepatia saepius condecenter. Ad

idem valet si patiens coutatur mane et sero stare in aqua marina diu, et sic patiens a crepatiis convalescat mediante aliquo medicamine praedictorum. Nota vero quod unguentum fuliginis, viridiramis et auripigmenti, quod superius docui, mirabiliter crepatias solidat et constringit.

42. *De extortilliatura seu stortilliatura.*

Accidit quandoquè praeterea quod junctura cruris posterioris juxta pedem laeditur, et patitur ex percussione violenta in aliquo duro loco, vel ex praecipitatione in equi egressu vel cursu; aut quod pes aliquando versus terram premitur indirecte; et quia junctura cruris juxta pedem locus delicatus nervosus et arteriis intricatus exsistit propter ossium conjuncturam, patiens in tantum vero claudicat, in egressu, et quum accidit patienti dicitur vulgariter stortilliatus.

Remedium contra.

Cui taliter subvenitur, videlicet de furfure cum aceto fortissimo agitato et de sebo arietum sufficienter immisceatur ibidem, quae insimul usque ad spissitudinem bulliant agitando; et deinde tantum calida quantum pati poterit super juncturam dolentem totaliter imponatur, vinciendo easdem cum quadam petia circum quaque, et haec pultrix bis in die renovetur. Si vero aliquid tumefactum fuerit ex indignatio-

ne nervorum, fiat emplastrum foeni graeci, seminis lini et squillae et aliorum veluti in anteriori capitulo continetur et supraponitur postea super juncturam dolentem. Si autem occasione stortilliaturae os juncturae aliquid a suo loco moveatur; pes equi socius claudicantis elevetur in altum, et in cauda patientis ligetur prout melius poterit, deinde ducatur ad manum versus loca montuosa ambulando paulisper. Quoniam ex necessaria oppressione versus terram laesae junctu-rae, os disjunctum aliquid ab aliquo remoto instanter in suo loco dirigitur prout decet; prius tamen debent fieri mollificativa quae praedixi: accidit tamen quandoque quod junctura unum os ab alio disjungitur tali modo, quod vix aut nunquam ad suum locum rejungitur opportune, de qua junctura tumefieri cogitur tumefactione durissima, quae cocturarum beneficio subveniri oportebit. Et nota quod omnium medicinarum vel curarum superius narratarum cocturae vel ignis ultimum remedium debet esse.

43. *De inflatione crurium.*

Accidit aliquando subsequenter quod crura equi posteriora universaliter pertumescant ex superfluitate humorum concursorum ibidem, quod more contigit quum equus herbas teneras comedit humores per corpus equi more solito commoventes, et sic ad infima loca concurrunt, ad crura tumefactiones non modicas adducentes, de quo equus patiens posteriori parte pi-

ger efficitur, et hic morbus dicitur inflatio crurium.

Remedium contra.

Cui sic convenienti juvamine subvenitur. Allaqueetur prius sursum in coxa patientis vena magistra, cruris videlicet tumefacti, et evacuato a vena incisa sanguine, prout decet, accipiatur creta alba et trita decenter, et cum aceto fortissimo agitetur immiscendo ibidem de sale bene trito, ut fiat exinde velut pasta, et de tali pasta postmodum totus tumor cruris universaliter emplastretur bis in die eadem renovando. Ad idem valet stercus caprinum dissolutum in aceto fortissimo, et postea cum totidem farina hordeacea agitatum veluti pasta, de qua totum crus inflatum similiter emplastretur, renovando eadem velut dixi. Ad idem valet si sanguisugae vel hirudines circum circa crus tumefactum abundanter apponantur, abraso prius loco universaliter pertumescente, evacuando humores ad crura concursos propter subtractionem sanguinis ad exteriora deducti. Si praedictis omnibus tumefactio non decrescat, crura inflata cocturis ibidem decentibus universaliter decoquantur, et curentur cocturae postea, prout dixi.

44. *De spina vel trunco ligni ad crura intrante.*

Contigit autem casualiter quod juncturas equi vel genua aut aliqua parte cruris aliquis truncus ligni vel

spina subintrat, et intra carnes modo aliquo remanet, de quo vulnus circumque tumescit, et quandoque totum crus tumescit exinde, maxime si truncus vel spina aliquem nervum laedit, equus quandoque cogitur claudicare.

Remedium contra.

Ad extractionem quorum tali utatur cura decenti, quod abradatur prius vulnus universaliter circumque, postea accipiantur tria capita lacertarum, et trita aliquantulum supponantur in vulnus, et ibidem cum quadam petia alligentur. Ad idem valent radices arundinis et radices dictamni tritae, et superpositae in vulnere, postmodum et ligatae. Illud idem faciunt limaciae tritae, et cum butyro agitatae, et postmodum coctae, medicinae tamen praedictae suppositae saepius renovatae stipitem vel spinam intus carnes exsistentes, ut dixi, mirabiliter ad exteriora deducunt, et extractis a vulnere spina vel trunco, vulnus curetur postea cum albugine ovi, et aliis consolidativis velut in praecedentibus capitulis continetur. Si vero tumor aliquis ex praedicta causa in cruribus remanserit cum emplastro absinthii, parietariae, brancae ursinae, axungiae, farinae et mellis tritis et decoctis insimul, prout superius continetur, illa tumefactio reprimatur; et sciendum est quod ad omnem tumorem vel inflationem mollem et recentem, quae fit praeter naturam ex percussione aliqua in aliqua parte cruris, in genubus

et in juncturis, satis valet mollificativum absinthii, parietariae et aliorum prout superius edocetur, eas-dem super tumefactionis locum saepius renovando.

45. *De forma.*

Fit quoque quaedam infirmitas, quae dicitur forma vulgariter inter juncturam pedis et ungulam, supra coronam pedis proprie in pastura, faciens in sui principio quamdam inflationem vel callositatem carnium supra pedem, quae accidit ex percussione in aliquo duro loco, sed tamen occasione malae et indecentis pastojae solet saepius evenire, cui nisi in sui principio, quum junior est callositas, curis subscriptis citius succurritur, supraossum durissimum, quum veterascit, efficitur, extendens se aliquando universaliter per coronam. Unde patiens in egressibus patitur vehementer.

Remedium contra.

Contra quam si forma est juvenis vel moderna, nec non ex negligentia antiquata, docetur tale remedium impertiri, veluti per omnia in medicaminibus supraossium superius sufficienter edocui, et nota quod praedicta infirmitas valde taediosa exsistit in egressibus patientis, quoniam locus ille, ubi curatur, nervosus exsistit, et plenus venis, nec non arteriis undique intricatis.

46. *De crepatiis transfusis vel ex transverso.*

Fit vero quaedam crepatia magna et longa transversa eveniens equo occasione aliarum crepatiarum, veluti superius enarravi. Quae efficitur inter carnem vivam, et ungulam videlicet in bulletis, gressus impediens patientis multo magis aliis crepatiis supradictis, eo quod illa crepatia ex transverso efficitur, scindens carnem ex transverso, quae continuatur cum ungulis, et quum semper illa crepatia laedatur vel reprimatur ab ungulis potius patiens affligitur aliis antecedentibus.

Remedium contra.

Cui minime potest unguentis vel aliis salubriter subveniri nisi coadjuvetur beneficio cocturarum, idcirco quod extremitates crepatiae supradictae funditus cum ferro rotundo in capite decoquantur, quoniam ignis beneficio dicta crepatia transversa augmentari non potest, sed decrescit.

47. *De cancro.*

Fit quoque alius morbus circa juncturas crurium juxta pedes vel inter juncturam et pedem videlicet in pastura, et quandoque in alia parte corporis generatur, eveniens ex aliquo vulnere ibi facto, et postmodum ex negligentia antiquato, qui efficitur multo-

ties ex frequentatione aquae vel turpitudinis vel putredinis quum his jam vulnus juncturarum vel in aliqua parte cruris equitatur improvide; nam si vulnus veterascit, aquis quotidie, et sordibus coutendo, efficitur exinde quod cancer dicitur in vulgari,

Remedium contra.

Cui tali cura vel remedio subvenitur; accipiatur videlicet de succo radicis asphodelorum drachmas VII, de calce viva IV, de auripigmento pulverizato II, et omnia diu coagitentur ad invicem, deinde ponantur in quodam vase subtili novo, oppilato postmodum ore vasis, ita quod fumus vel vapor non possit exire, et dimittatur bullire in tantum vel coquere in igne quousque perfecte in pulverem redigantur, et de illo pulvere postea intromittatur in vulnus cancri sufficienter tantummodo bis in die, donec cadat cancer vel mortificetur in vulnere, abluto prius cum aceto fostissimo, et mortificato cancro ut decet, curetur vulnus postea cum albugine ovi, et aliis, sicut superius in curis vulnerum edocetur, casi vero signum, et mortificationis cancri est, vel apparet quum vulnus cancri circumque tumescit. Ad idem valet stercus humanum pulverizatum et mixtum cum totidem tartari combusti aequali mensura. Ad idem valet adhuc tartarum combustum cum sale minuto mixtum et superpositum. Aliud adhuc dico mortificans cancrum quod melius est, oleum bene tritum cum pipere pulverizato, et

piretro aliquantulum axungiae veteris porcinae, et aliquantulum de sale, et tritis ad invicem intus in vulnus cancri immittantur et strictius alligentur, bis in die eadem tantummodo renovando, donec cancer ex toto mortificetur; fiat de vulnere postea, ut praedixi. Et nota quod pulvis asphodelorum dictis omnibus violentior est, et supradictis pulveribus in locis nervosis uti debet et venis et arteriis undique intricatis, quoniam in locis praedictis cavendum est incisiones vel cocturas facere quocumque modo; in locis tamen carnosis ad plenum coqui, et incidere funditus facere nullatenus est dubitandum. Ideoque cancer posse curari magis facilius et citius in locis carnosis cum incisionibus et cocturis quam cum pulveribus et medicaminibus supradictis.

48. *De fistula.*

Accidit quandoque praeterea quod antiquato vulnere diutius fit quidam morbus intus vulnus rodens et fodiens carnes in vulnere funditus usque ad ossa quandoque, quod accidit ex longa antiquitate vulneris incurati, et quandoque accidit ex cancro non curato, ut decet. Quoniam cancer de levi nisi curetur decenter, redigitur in fistulam, quae sic vulgariter appellatur.

Remedium contra.

Si vulnus aliquantum vel cancer propter antiquitatem in fistulam redigitur, asphodelorum pulvere solet aliquando subveniri immiscendo tamen praedicto pulveri de auripigmento quantum de calce viva, ut fiat violentior alio supradicto. Adhuc aliud ad violentius fistulam reprimendam: accipiatur calx viva et totidem de auripigmento, et pulverizatis decenter coagitentur cum succo allii, caepe et ebuli aequalis mensurae, et agitatis insimul bulliant sufficienter cum tanto melle liquido et aceto quantum de succis praedictis, eadem cum spatula agitando, donec fiat exinde quasi unguentum, et de illo unguento intromittatur in vulnus fistulae bis in die sufficienter, et ligetur ibidem si videbitur expedire, vulnere prius fistulae saepe abluto cum aceto fortissimo. Item aliud valet ad idem: accipiatur auripigmentum, viridirame, calx viva, omnia pondere coaequali, et pulverizatis decenter coagitentur ad invicem cum sufficienti succo piretri et atramento, immiscendo ibidem tantum de melle liquido, quantum de aceto fortissimo, aliquantulum insimul omnia decoquantur, saepius agitando eadem, ut superius docui, exinde intromittantur in vulnus petiae velut amygdaliones quotidie bis in die, abluto prius vulnere cum aceto; et quia violentius et acrius est omnibus supradictis resalgar pulverizatum decenter cum saliva jejuni hominis agitatum intromittatur in fistulam

moderate. Signum vero mortificationis fistulae est quando vulnus fistulae circumque tumescit, et rubet interius mortificata fistula, postmodum curandum est vulnus veluti de aliis vulneribus est expressum. Si vero in locis carnosis fistulae crearentur, illud idem fiat per omnia, quod in cura cancri superius continetur,

49. *De malo pinsanese.*

Est quoque alia infirmitas quae fit equo prope in bulletis ungulae, ubi carnes vivae ungularum conjunguntur, quae velut infusio detinet et impedit gressus equi, quandoque tamen fit in uno pede, et quandoque in reliquis universaliter accidit. Nota vero quod si fit in uno pede solummodo, nisi subveniatur instanter, solet ceteris pedibus evenire, quod accidit de levi ex malis humoribus ibidem concursis propter fumositatem praedictam: facilius tamen contingit ex nimia frequentatione aquae, et turpitudinis fumositate stabuli veniente ab aqua nec a sordibus dessiccatis tersorio cruribus indecenter, quae etiam adducit laesiones sive ulcera maligna equo, et lingua laesa, potest de levi cognosci infirmitas antedicta, quae *mal pinsanese* ab aliquibus nuncupatur,

Remedium contra,

Cui subscripto modo assolet subveniri, quod ungulae laesae patientis usque ad subtilitatem subtus so-

leam pedis primitus praeparentur, et deinde cum rosnetta ferrea, bullesiae pedum usque quasi ad vivum ungulae subtilentur, ut bulesiae dictae possint aptius undique exhalare; deinde ab utraque parte bullesiorum flebotometur decenter, ut exinde evacuentur humores concursi, vel cum ferro cuspideo calidissimo ab utraque parte funditus perforentur cavendo saepe pedes laesos a sordibus et ab aqua, nec non eumdem ullo modo fatigando. Fiat postea pultrix de furfure, aceto, sebo, veluti in stortilliaturae capitulo continetur, et talis pultrix tantum calida quantum pati poterit in quadam ampla petia extendatur, et circa pedem laesum universaliter alligetur, bis in die eadem renovando. Cavendum est tamen ne patiens herbas comedat, imo de aliis parum comedat donec de morbo fuerit liberatus, quoniam herbae et multa herbaria humores addunt de more, ut jam dixi, et sic coutendo patiens liberabitur tali cura; de lingua vero dico quae laeditur de occasione praedicta qua liberabitur, quum cessante morbo a pedibus, linguae ulcera solidantur.

50. *De universis laesionibus ungularum, et primo de sita.*

Habito tractatu de aegritudinibus et remediis equi crurium, per omnia diligenter de laesionibus ungularum universaliter sequitur edocere. Dicendum est primo de sita quae fit in equi cruribus vel in pede

usque ad tuellum intrinsecus ungulam scindens per medium, et quandoque ex latere, scissura cujus a corona pedis incipit tendens per longum inferius usque ad ungulae extremitatem, vel pedis emittens quandoque vivum sanguinem per scissuram, quae accidit ex laesione tuelli intus ungulam permanente, quum praedicta infirmitas initium et caput habeat a tuello, et quandoque accidit quum equus juvenior est propter teneritatem ungulae tenerrimae; quandoque percutiendo eamdem vel premendo acriter in aliquo duro loco laeditur tuellus tenerrimus, ut praedixi; unde equus multoties patitur, et exinde claudicat quum saepius equitatur; haec namque sita vulgariter nuncupatur, assumens ex opere suum nomen eo quod de more ungulam scindit.

Remedium contra.

Cui subscripto medicamine salubriter subvenitur; inquirantur primum radices sitae versus tuellum juxta coronam pedis inter vivum et mortuum ungulae cum rosnetta desuper ungula incidendo quousque exinde incipiat sanguinare; deinde accipiatur serpens, et ad minutas petias incidatur, incisis prius cauda serpentis et capite, et projectis, et petiae illae serpentis in quodam vase pleno oleo communi decoquantur in tantum, quod carnes serpentis coquendo in oleo liquefiant, et ossa penitus arescant, et fiat exinde velut unguentum, de tali unguento radi-

ces sitae bis in die, aliquantulum calido, sufficienter quotidie inungantur, et tali unguento coutatur donec sita praedicta mortificetur decenter, et ungula ad statum pristinum reducatur. Cavendo tamen quod pes comprehensus a sita ab aqua et sordibus non tangatur, nec et equus patiens herbas comedat ullo modo. Item aliquando sitam praedictam subscripto modo consueverunt curare, quod incisa prius ungula desuper cum rosnetta usque ad vivum, ut dixi superius, radices sitae funditus coquebant vel mortificabant easdem cum pulvere asphodelorum, vel cum aliis pulveribus cancrum exstinguentibus, et deinde conficiebant quamdam mixturam de pulvere olibani, mastice mixto postmodum et decocto cum sebo arietino et cera aequali mensura, et fiebant exinde utpote unguentum, postea de tali unguento bis in die usque ad consolidationem carnis, et renascionem ungulae quotidie utebantur. Sed tamen experientia doctus unguentum serpentis, quod superius docui, contra sitam magis approbo alio supradicto: et nota quod si petiae serpentis incipiant liquefieri, et illa pinguedo postea collecta liquida et calida velut ab igne exstiterit desuper vel intus pulmonem dorsi equi sufficienter stilletur, mirabiliter in uno die consumit pulmonem et destruit. Cavendum est tamen ne cadat ex pinguedine illa in aliqua parte dorsi.

51. *De superposita in corona pedis.*

Efficit et alia laesio super coronam pedis, videlicet inter carnem vivam et ungulam, faciens rupturam carnis ibidem, quae si antiquata fuerit, multoties cancer efficitur, et haec accidit quum equus casualiter pedem supra pedem imponit pedem illum reprimendo, quae dicitur superposta.

Remedium contra.

Cui tali medicamento subveniendum dico, quod statim quum vulnus efficitur occasione praedicta in tantum incidatur cum rosnetta decenti de propinqua ungula circa vulnus, quod ungula non tangat, nec premat modo aliquo carnem vivam, quoniam oppressio, quae fit de ungula ad vulnera carnis vivae non est conveniens, imo taediosa satis exsistit, nec vulnus de levi solidari permittit propter continuam oppressionem ungulae quam praedixi, et ungula decenter incisa circumque abluto prius vulnere cum vino calido vel aceto curetur vulnus, deinde cum solidativis prout in praecedentibus continetur; patientem semper cavendo a sordibus, et ab aqua donec vulnus fuerit solidatum. Si vero ex negligentia vel ex incongrua cura vulnus deinde in cancrum forsitan redigatur, curetur, velut praedixi in capitulo cancri. Si autem in fistula, velut dixi de fistula medicetur.

52. *De inclavaturis quae tangunt vivum ungulae.*

De inclavaturis insuper quae fiunt equi pedibus vel ungulae est videndum, quarum species sunt primitus recto ordine distinguendae. Fit igitur quaedam species clavaturae laedens funditus tuellum intrinsecus. Fit et alia quae transit inter tuellum et ungulam tuellum intrinsecus minus laedens. Fit et tertia non laedens tuellum in aliquo, sed vivum ungulae tangit, et laedit. Prima species ergo, quae funditus tuellum laedit ad plenum, satis pedi periculosa exsistit, quoniam tuellus est quaedam teneritas ossium facta ad modum ungulae nutriens ungulam et gubernans, et etiam radices ungulae universaliter ad se tenens.

Remedium contra.

Cui si tuellus fuerit funditus nimis laesus, subveniatur salubriter beneficio ungulam dissolandi prout infra docebo quum locus affuerit. Si vero fuerit parum laesus, discooperiatur cum aliquo ferri instrumento decenti sola ungulae circa vulnus, et in tantum circum circa laesionem de ungula incidatur funditus, quod laesio attingatur, et discooperiatur decenter, et discooperta postmodum clavatura, et bene attincta adsubtilietur sola ungulae universaliter et specialiter circa laesionem in tantum ungulam incidendo, quod sit

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

spatium condecens inter laesionem et ungulam, ita quod ungula non premat nec adhaereat laesioni, quoniam carnis consolidationem et renovationem novae ungulae impediret, et hoc peracto, ut dixi, decenter vulnus vel laesio stuppa sufficienter intincta in ovi albugine impleatur, deinde vulnus curetur cum sale minuto et aceto forti vel pulvere gallae vel myrti aut lentisci, prout expressi superius in capitulo praecedenti.

53. *De inclavaturis, quae non tangunt tuellum.*

Si vero laesio clavelli transeat inter tuellum et ungulam, quae est secunda species clavaturae, minus periculosa exsistit, quoniam tuellus non laeditur, nisi ex latere. Cui solet taliter subveniri; prius inclavatura illa usque ad vivum funditus detegatur per longum ungulae incidendo, et elargando circa vulnus decenter, nec non circumcidatur ungula laesioni propinqua ut vulneri non adhaereat ullo modo; inclavatura postmodum discooperta, laesio totaliter impleatur de sale minuto, abluto prius vulnere cum aceto, pes laesus cum quadam petia alligetur; et curetur postea laesio bis in die, velut supra narravi. Si autem fiat tertia species inclavaturae, quae non laedit tuellum, sed transit per medium videlicet inter vivum et ungulam, illud idem fiat per omnia ut in secunda specie docui. Adjungitur tamen quod attincta vel

discooperta prius inclavatura, decenter exterius ungula incidatur usque ad laesionem clavelli, quia nec sordis vel alia alicujus turpitudinis possint inter laesionem modo aliquo retineri. Et nota quod ceterae inclavaturae, quae non tangunt nec laedunt tuellum intrinsecus, possunt leviter et decenter curari attinctis prius funditus laesionibus prout decet, videlicet cum subscriptis sebum vel cera vel oleum aut aliquid unctuosum bullientia intromissa in vulnus. Idem cum sale vel tartaro tritis. Item valet ad idem fuligo cum sale et oleo agitatis. Ad idem valet albugo ovi cum aceto et oleo agitata. Ad idem valet pulvis gallae, myrti et lentisci intromissa in laesionem, prius tamen laesio clavelli cum aceto fortissimo abluatur. Et nota quod ad ceteras laesiones pedum vel ungularum quae accidunt occasione clavelli vel ligni aut alicujus intrantis intus vivum ungulae, antequam ungula vel pes tangatur ad inclavaturam inquirendam prout convenit, fiat pultrix de furfure, sebo et malvis quae omnia bulliant cum aceto usque ad spissitudinem, et deinde tantum calida quantum pati poterit ponatur in quadam petia, et in pede laeso ligetur a sero usque ad mane, et converso, quoniam talis pultrix mitigat dolorem, poros aperit, ungulas humectat, ut melius et levius pro velle ungulae incidantur. Cavendum est tamen a sordibus et ab aqua et equitatu, juxta quod inclavatura periculosa exsistit patienti.

54. *De inclavatura quae rumpit coronam.*

Accidit quandoque quod ex imperitia medicantis inclavatura non bene attingitur, nec curatur. Unde contingit quod putredo laesionis inclusa intus ungulam facit sibi viam exeundi inter carnem vivam et ungulam, videlicet supra pedem rumpens carnem ibidem, et efficitur quoddam vulnus emittens putredinem.

Remedium contra.

Quod vulnus tali modo curatur veluti in supraposito capitulo praecedenti. Inclavatura tamen inferius subtus solam ungulae requiratur, et attingatur decenter ad vivum, et deinde curetur, ut de aliis inclavaturis praedixi.

55. *De ficu subtus.*

Accidit quod pes laeditur subtus ungulam in medio solae, videlicet ex aliquo ferro vel osso aut lapide sive ligno usque ad tuellum intrante, de quibus tuellus laeditur aliquando vehementer, ex qua laesione propter negligentiam marescalchi ungula nisi incidetur, velut dixi superius, circa vulnus nascitur a tuello quaedam carnis superfluitas supra solam pedis per vulnus extrinsecus exeunte; unde oppressione et coarctatione ungulae circum circa laesionem illa car-

bis superfluitas cogitur supra pedis superficiem permanere ad modum ficus facta, et ideo ficus vulgariter nuncupatur.

Remedium contra.

Cui praesenti cura salubriter succurratur. Prius de ungula, quae exstat circa vulnus in tantum funditus incidatur quod fiat spatium condecens intra solam pedis et carnem superfluam, quae dicitur ficus. Postea vero ficus usque ad solae superficiem incidatur, et deinde exstincto sanguine condecenter spongia marina super ficum cum petia una strictius alligetur, ut reliquus ficus in pede permanente usque ad tuellum corrodatur; spongia vero non removeatur exinde, donec remanens ficus praedictus corrodatur, et corroso ficu curetur laesio, ut de aliis pedum laesionibus est expressum. In defectu vero spongiae multum valet pulvis asphodelorum vel alii corrosivi pulveres supradicti, excepto resalgare, quod minime approbatur eo quod immoderate violentum exsistit. Cavendum est tamen ne coctura ibidem ullo modo facienda, quoniam tuellus propter teneritatem suam, et quia dessiccatum, quod est ab igne, taliter posse laedi, quod ungula cadere cogeretur, aut a tuello dividi quoquo modo.

56. *De subbattuto subtus solam pedis.*

Contingit praeterea quod sola ungulae subtus pedem tam diu ducitur sine ferris per loca montuosa,

dura, saxea vel petrosa, quae adnihilatur quasi, et in tantum subtilis efficitur locis duris assidue coutendo, quod tuellus intrinsecus a praedicta sola ungulae non valet debitam et naturalem defensionem habere, de quo tuellus necessarie laeditur ob pressuram lapidum vel alicujus duri percussionem, laeso vero tuello, fit inter tuellum et solam quaedam congregatio sanguinis vel humorum ad dolorem, more solito, concursorum.

Remedium contra.

Cui subvenitur salubriter beneficio ungulae desolandi, oportet tamen aliquando totam ungulam dissolare, quandoque medietatem, quandoque partim juxta quod laesio magna vel parva exsistit, ut evacuentur humores ad dolorem concursi, et ut tuellus laesus melius curetur pro velle, et praedicta omnia fiant per omnia usque ad convalescentiam, veluti subscribam in antea in dessolaturae capitulo consequenti.

De spontationibus ungularum.

Accidit aliquando praeterea quod equi infusio, ex negligentia prout convenit non curata, descendit ad pedes ex motu humorum ad crura more solito jam concursorum.

Remedium contra.

Cui si recens fuerit vel moderna tali remedio succurratur, quod extremitas ungulae in anteriore parte videlicet cum rosnetta parva in tantum cavetur funditus donec vena magistra pedis, quae tendit ibidem cum rosnetta praedicta rumpatur, et attincta vena postmodum usque quasi ad debilitatem corporis sanguinetur, et hoc fiat, si expedierit, in ceteris pedibus claudicantibus. Impleatur vulnus post extinctionem sanguinis sale minuto, ponatur stuppa in aceto sufficienter infusa desuper vulnus, pes claudicans cum decenti petia alligetur; et usque ad diem secundum nullo modo dissolvatur, deinde curetur vulnus cum pulvere gallae, myrti et lentisci, bis in die abluto prius saepe vulnere cum aceto, cavendo eosdem a sordibus et ab aqua donec convaluerint condecenter.

De dessolationibus ungularum et cura.

Si vero humores concursi ad pedes occasione infusionis superius jam narratae intra ungulas, ex incongrua cura, fuerint antiquati, oportebit pedes claudicantes penitus dissolari, ut humores et sanguis inclusi ibidem evacuentur ad plenum. Videlicet quod sola subter ungulam circum circa extremitatem circuitus ungulae cum rosnetta congrua incidatur: sola pedis deinde circumque incisa violenter extrinsecus ex-

stirpetur, et exstirpata decenter dimittatur ungula fere ad libitum sanguinare; exstincto sanguine postea stuppa sufficienter in albugine ovi infusa intromittatur abundanter in vulnus, universaliter pedem laesum cum quadam petia alligando, et usque ad secundum diem cum tali medicamine dimittatur; postea vero abluatur vulnus cum aceto fortissimo aliquantulum calefacto et abluto, statim de sale minuto, et totidem de tartaro bene trito vulnus totaliter impleatur, ligando eumdem cum petia prout dixi, nec pedi laeso usque ad diem tertium aliquid renovando; post appositionem tamen salis et tartari superponatur stuppa in aceto fortissimo madefacta, deinde bis in die cum aceto calido pedis laesio abluatur, et superadspergatur de pulvere gallae vel myrti aut lentisci vel tartari, quae carnes consolidant et humores constringunt, et usque ad consolidationem carnium et renovationem ungulae talis cura procedat, cavendo semper pedem a sordibus et ab aqua. Vel aliud unguentum posse fieri ad consolidationem crurium, et attractionem humorum, quod post appositionem salis et tartari tantum uti debet. Accipiatur pulvis olibani, mastice, picis graecae, aliquantulum sanguinis draconis, et misceantur cum cera nova liquida et totidem de sebo arietino, et bulliant insimul ut exinde efficiatur unguentum, et de tali unguento aliquantulum calido utatur in cura quam dixi; et nota quod multae et diversae infirmitates vel laesiones ad pedes equi eveniunt, quibus oportebit necessario ungulas dissolare, quae quum acciderint quum

uugulae dissolentur praedictis medicaminibus per omnia coutatur. Et est sciendum quod ad omnes ungulas augmentandas, ut ad ferrandum melius praeparentur, et pro velle levius incidantur, accipiatur malva, parietaria, furfur et sebum arietinum insimul bulliant, eadem agitando, et tali decoctione calida ungulae totaliter involvantur, et saepe eadem renovando.

De mutationibus ungularum.

Contingit autem multoties, quod ex negligentia, vel desidia marescalchi humores concursi ad pedes equi, et ibidem diutius introclusi in tantum intra ungulas antiquantur, quod necessario ungulam a tuello intrinseco separant et evellunt, viam exeundi exterius inquirentes. Unde patiens cogitur laesam ungulam immutare, accidit quandoque quod ungula laesa separatur penitus a tuello, et illico cadit propter furorem et insultationem multorum humorum ad ungulam concursorum, et quandoque paulatim ungula se dividit a tuello, cooperante natura, nova ungula nascente veterem ungulam propinquius conservante, et hoc efficitur ob paucitatem humorum, quibus potest tale remedium exhiberi.

Remedium contra.

Statim vetus ungula cum rosnetta circum circa aliquantulum incidatur, ubi jungitur videlicet cum no-

vella, ita quod vetus ungula, quae est fortis et dura, non premat nec laedat ungulam teneram et modernam, deinde accipiantur duae partes de sebo arietino, et tertia pars cerae, et bulliant insimul agitando, immiscendo ibidem aliquantulum olei, et bulliant in tantum donec conficiatur unguentum exinde, et tali unguento bis in die postea aliquantulum calido nova ungula inungatur. Et nota quod istud unguentum ad augmentationem omnium ungularum et renovationem habile reperitur, cavendo ungulam quantum poterit a sordibus et ab aqua, et tali utatur cura donec fuerit decenter mutata: de ungula vero quae aliquando dividitur a tuello, et penitus cadit, multa dicere praetermitto propter morae dispendium. Sed tamen aliquod remedium invenitur, ad quod accipiatur pix graeca, olibanum, mastix, bolus, sanguis draconis, galbanum aequali pondere, quae omnia pulverizata decenter liquefiant cum duobus partibus sebi arietini, et cum tertia parte cerae ad invicem decoquantur simul agitando, deinde accipiatur pannus lineus fortis, et intromittatur in confectione praedicta, et in eadem totaliter infundatur, et de tali panno sufficienter de praedicta confectione illinito, fiat subtallaris unius ad modum pedis et tuelli, ungulae desuper imponatur, ita tamen quod tuellus praedictus assidue sit in concavitate subtallaris, bis in die tamen subtallare extracto abluatur cum aceto fortissimo aliquantulum tepefacto, et iterum immisso subtiliter desuper tuellum, cavendo ne tuellus ab aliquo duro feriatur: et quia

equus per dimissionem ungulae directus supra pedes adstare non potest, fiat eidem cubile vel stratum de palea longa, ut decenter pro velle quiescat, et si equus forte non posset rectius adstare pedibus ullo modo, et quia semper jacere foret eidem nimium taediosum et damnosum, stet rectus artificialiter tali modo. Accipiatur videlicet canna una panni grossi et fortis canapacii, et si expedierit, fit fortior cum cingulis sutis ibidem, et postea super pectore pannus collocetur, quod amplitudo panni a medietate corporis usque ad extremitatem pectoris protendatur, et deinde jungendo funes decenter in utroque capite panni, superius ad trabem alligetur, quod corpus equi sustineatur a panno universaliter vel a funibus praedictis; tamen dictus equus, quantum suum posse fuerit, leviter pedibus premat terram, et sic coadjuvando naturam patientis, artificio supradicto pro ungulis nascendis poterit remedium inveniri, et nota quod omnibus aegritudinibus, in quibus equus patiens supra pedes stare vix poterit, praedicto artificio panni vel funium natura patientis congrue adjuvatur; et ut durae efficiantur ungulae post renovationem earum et fortes, accipiatur pulvis gallae et totidem de furfure, et cum aceto fortissimo ad invicem bulliant, easdem agitando immiscendo ibidem aliquantulum salis et sebi arietini, et tali decoctione pes universaliter involvatur cum quadam petia ampla eadem alligando, et bis in die tantummodo renovetur.

De infirmitatibus naturalibus.

Licet in principio mei tractatus de remediis aut curis infirmitatum et laesionum equorum accidentaliter evenientium huc usque praescriptum fuerit, eo quod accidentales infirmitates vel laesiones crurium et pedum sunt prae manibus occurrentes, nihilominus remedia naturalium infirmitatum addere non omitto: de naturalibus amodo loquuturus.

Incurabiles.

Dico igitur subsequenter, quod iis omnibus, quae equo accidunt in ventre matris ex defectu naturae non posse medicinas congruas impertiri. In aliquibus tamen possunt remedia modo aliquo inveniri, quum equus videlicet nascitur cruribus obliquis vel pedibus, tam anteriori parte quam inferiori, tale remedium docebo.

De obliquis cruribus.

Quod si crura posterioris partis interius obliquentur percutiendo vel transferendo unum pedem et alium in egressum, equus interiori parte coxarum juxta testiculos ferris ad hoc decentibus decoquatur tres lineas in utraque parte coxarum faciendo ex transverso, et deinde quotidie more solito equitetur, quoniam in suis egressibus unam coxam cum alia cogitur tangere et fricare; ex frequenti quoque tactu coxarum

quaedam efficitur excoriatio velut plaga propter cocturas superius enarratas, unde equus crebros ardores sentiens necessario pergit apertius, largius solito vel directe, cavendo se pro posse ne cocturae fricentur ad invicem prout dixi. Simili modo fiat cruribus anterioribus faciendo cocturas praedictas interius videlicet in lacertis, et ita crura obliqua, modo aliquo, artificialiter diriguntur.

De obliquis ungulis et cura earum.

Obliquis vero ungulis sive pedibus tale remedium invenitur. Videlicet quod pedes ferrando frequenter possunt ungulae praeparari et aptari decenter ad modum rotunditatis ferri quoque modo. Unum tamen restat de ungularum praeparationibus recordari, quod interferitionem vel percussionem de uno pede ad alium, non modicum prodest equo, videlicet quod ungulae magis exterius quam interius praeparentur, et etiam ferro altiori in exteriori quam in anteriori parte (1) ferretur assidue, et sic equus interferitione prae-

(1) Fateor equidem, hunc locum nonnihil difficultatis habere. Nam quum auctor moneat, ferrum altius in externa quam interna parte esse faciendum, id profecto opponitur depressioni, quam ipse in exteriore parte ungulae fieri jubet. MS. quidem Taurinense, quod eadem propemodum verba retinet, pro *anteriori* habet *interiori*, ita etiam legitur in alio MS. e Bibliotheca D. Marci Venetiarum. At tali etiam pacto minime tollitur, imo augetur difficultas: notum

dicta remedium obtinebit. Sed tamen solet equus aliquando interferiri de uno pede ad alium propter maciem, de qua debilitatione equo posset, adjuncta pinguedine, subveniri.

63 *De infirmitate muri vel celsi, et cura.*

Contra infirmitatem praeterea, quae dicitur murus, dico, quod illa superfluitas carnium quam praedixi (1) usque ad superficiem corii cautius incidatur; deinde si locus nervosus non fuerit, ferris rotundis calefactis decenter radicitus decoquatur. Si vero nervosus fuerit, resalgar pulverizatum decenter sub unius tareni pondere superadspergatur, amplius de eodem secundum quod magis aut minus videbitur expedire, quoniam resalgar corrodit acrius velut ignis, deinde corrosis muri radicibus funditus intromittatur in vulnere stuppa ovi albedine sufficienter intincta, et de tali stuppa vulnus totaliter impleatur usque ad tertium diem, semel in die mutetur cum stuppa et albugine ovi, prout dixi, deinde postea pro consolidatione festina vulnerum accipiatur calx viva et totidem de melle, et incorporetur insimul agitando, et incenda-

---

enim est ungulam, quo saepius resecatur (praeparatur), eo celerius crescere; dummodo tamen id auctor reapse docere voluerit.

(1) Vide Cap. *De aegritudinibus naturalibus et accidentalibus venientibus* pag. 19.

tur in igne veluti in vermium capitulo jam expressi, et de tali pulvere intromittatur in vulnus cum stuppa minuta incisa involuta de eodem tantummodo bis in die, abluto vulnere cum vino forti aliquantulum tepefacto. In defectu tamen resalgaris accipiantur de calce viva drachmae IV, et totidem de tartaro, et de auripigmento drachmae II, et de viridirame drachmae II: pulverizatae subtiliter ad invicem insimul intromittantur in vulnus bis vel ter sufficienter aut quatuor, donec radices praedicti muri funditus corrodantur, abluto semper prius vulnere peroptime cum aceto, quae pulvis est minus violentior pulvere resalgaris. Sciendum est tamen quod vix aut nunquam pili nascuntur ibidem.

De ceteris glandulis et cura.

De ceteris vero superfluitatibus carnium quae naturaliter nascuntur intus corium et carnes quae dicuntur vulgariter glandulae sive testudines aut scrofulae nuncupantur; dico quod scisso prius corio per longum, ut exstat aliqua in equi corpore glandula, extrahatur talis glandula manibus, eamdem caute ungulis excarnando vel scisso corio prius superadspergatur resalgar pulverizatum decenter vel extracta glandula prout poterit locus glandulae postmodum decoquatur, aut superadspergatur semel pulvis calcis vivae, auripigmenti, viridiramis, tartari, ut praedixi, et deinde usque ad consolidationem utatur cura, quae in muri capitulo continetur. Si vero propter incisionem vel

excarnationem glandulae supradictae vena aliqua in sanguinem prorumpat ad restringendum sanguinem juxta quod in ipso anticoris remedio requiratur et fiat per omnia ad sanguinem restringendum, sicut ibidem docetur. Sciendum est tamen quod tutius et salubrius est praedictas glandulas destruere et depellere pulveribus supradictis quam incisionem vel decoctionem aut manuum tractationem, si glandulae in locis nervosis adjacent et venosis.

REGULÆ COGNITIONUM OMNIUM EQUORUM

Equus habens garecta ampla et extensa, et falces curbas, et quae garecta interius respiciant in egressu, de more celer et agilis debet esse.

Equus habens garecta curba, falces extensas et ancas curbas, debet naturaliter ambulare.

Equus habens juncturas crurium juxta pedes naturaliter grossas et pasturalia curta, velut bovina, fortis esse censetur.

Equus habens costas grossas velut bovinas et ventrem amplum et dorsum pendentem, laboriosus et sufferens judicatur.

Equus habens maxillas grossas et collum curtum non de levi adfrenatur decenter.

Equus habens pares balzanas, et non impares, non de facili gratiosus exsistit.

Equus habens albas ungulas universas, vix aut nunquam duros pedes habebit.

Equus habens auriculas pendentes et magnos oculos concavos, lentus vel remissus aut mollis exsistit.

Equus habens nares magnas et inflatas et oculos grossos et non concavos, audax naturaliter reperitur.

Equus habens os magnum, scissum sive laceratum maxillas graciles et magnas et collum longum et gracile versus caput satis habilis est ad frenandum.

Equus tenens ad se truncum caudae strictius et fortiter intra coxas fixum, fortis et sufferens esse videtur, ut in pluribus, sed non celer.

Equus habens crura et juncturas crurium satis pilosas, et pilos longos in eisdem, laboriosus existit, sed agilis non de facili reperitur.

Equus habens clunem longam et amplam et ancas longas et extensas, et qui sit posterius quam anterius altior, velox in longo cursu, ut in pluribus invenitur.

De cognitione claudicationum.

Equus claudicans a pede anteriori, et non premens versus terram in egressu nisi extremitatem vel tantummodo puncta pedis, ungula patitur.

Equus claudicans anterius premens versus terram universaliter solam pedis, alibi quam ungula patitur.

Equus claudicans et in oppressione pedis versus terram non plicans, nec aliquid curvans pasturalis vel juncturas, circa juncturas est laesio.

Equus claudicans anterius, et in revolutione sua a dextris vel a sinistris abundantior esse videtur, dolor in spatulis permanet.

Equus claudicans posterius, et in revolutione sua similiter claudicantior efficitur, in anca patitur.

Equus pergens deorsum versus loca infima faciens in egressu passus anteriores minutos et crebros, pectoris aggravatione afficitur.

Equus anterius claudicans et quum quiescit aliquantulum tendit pedem claudicantem ante alium, nihil se incumbens claudicanti, in crure vel in spatula patitur.

Equus posterius claudicans non incumbens se in egressibus nisi in punctà pedis posterioris solummodo, nec aliquid curbans juncturas, sed dirigit et elevat pedem claudicantem sine plicatione aliqua in egressibus, in junctura laesio.

De cognitione morborum.

Equus habens dolores intra corpus continue auriculas universaliter frigidas et oculos concavos, semivivus esse censetur.

Equus habens anticorem, et flatus narium emittit frigidum, et oculi fuerint lacrimantes assidue, quasi mortuus judicatur.

Equus habens infirmitatem cimoirae vel vermem volativum in capite, et projicit vel emittit per nares humores continue velut aquam quasi pinguem et frigidam, vix evadit.

Equus habens infirmitatem aragiati emittens in tantum per anum continue stercora liquefacta, quod

nihil stercoris sive fimi in ventre patientis remanet quod emittat, nisi in infusionem revertitur infirmitas, ut in pluribus, morietur in proximo.

Equus habens infirmitatem vivularum, et universaliter, et subito redigitur in sudore; et membra ejusdem singula contremiscunt, ipso continue storditionem capitis patiente, non commode videbitur posse evadere.

Equus laborans infirmitate frigiditatis capitis, habens caput inflatum et oculos tumefactos, nec non caput deferens in egressu graviter deorsum extremitates auricularum pendentes et frigidas, vix aut nunquam poterit liberari.

Equus patiens infirmitatem strangullionis, et cum difficultate et sonitu narium et gutturis emittit aerem, et remittit, nec non totum guttur habet universaliter grossum vel inflatum, huic difficillime subvenitur.

Hoc opus composuit Jordanus Ruffus de Calabria miles et familiaris Domini Friderici Imperatoris Secundi memoriae recolendae, qui instructus fuerat plene per eumdem Dominum de omnibus supradictis, et expertus etiam fuerat postmodum probabiliter omnia in Marestalla equorum ejusdem Domini, cum quo fuit per magnum temporis spatium commoratus.

INDEX
CAPITUM
ET
CAPITULORUM

Jordani Ruffi de medicina equorum PAG. 1

CAP. I. *De generatione et nativitate equi* . 2

II. *De captione et domatione equi* . . 4

III. *De custodia et doctrina equi* . . . 5

2. *Ad ferrandum equum* . . . 9

3. *De doctrina equi* 10

4. *De forma freni* 13

IV. *De cognitione pulcritudinis corporis equi* 17

V. *De aegritudinibus naturalibus venientibus* 19

VI. *De accidentalibus infirmitatibus et laesionibus equorum* 20

CAPITULUM 1. *De verme* 23

2. *De verme volativo* 27

3. *De anticuore* 28

4. *De strangullione* 30

CAPITULUM 5. *De vivulis* . . . . . PAG. 31
6. *De dolore ex superfluo sanguine* 32
7. *De dolore ex ventositate* . . 33
8. *De dolore ex superflua comestione* 34
9. *De dolore ex retentione urinae* 36
10. *De inflatione testiculorum* . . 37
11. *De equo infuso vel infundito* 38
12. *De pulcino seu de pulsivo* . . 40
13. *De infustito* 42
Ad impinguandum equum . . 44
14. *De scalmato* 45
15. *De infirmitate aragiati* . . . 47
16. *De cimoira* 48
17. *De frigiditate capitis* 50
18. *De infirmitate oculorum* . . . 52
19. *De malo oris* 53
20. *De laesione linguae* 54
21. *De laesionibus omnibus tergi* . 56
22. *De laesione corii* 58
23. *De pulmone* 59

CAPITULUM 24. *De spallatiis* . . . . PAG. 60
25. *De barulis vel carbunculis* . . 61
26. *De scabie vel pruritu* . . . ib.
27. *De malferuto in lumbis* . . . 62
28. *De laesione ancae vel de scul-*
mato 64
29. *De spallato seu de laesione spa-*
tulae 66
30. *De laesione falcis* . . . . . ib.
31. *De gravedine pectoris* . . . 68
32. *De laesionibus crurium et un-*
gularum 69
33. *De jarda in garecta* . . . . ib.
34. *De spavanis* 71
35. *De curba* 72
36. *De spinula* 73
37. *De supraossibus* 74
38. *De attinctione sive attincto* . 76
39. *De gallis* 78
40. *De grappis* 80
41. *De crepatiis* 81
42. *De extortilliatura seu stortil-*
liatura 83
43. *De inflatione crurium* . . . 84

CAPITULUM 44. *De spina seu trunco ligni ad crura intrante* . . . PAG. 85
45. *De forma* 87
46. *De crepatiis transfusis vel ex transverso* 88
47. *De canero* . . . . . ib.
48. *De fistula* 90
49. *De malo pinsanese* 92
50. *De universis laesionibus ungularum, et primo de sita* . 93
51. *De superposita in corona pedis* 96
52. *De inclavaturis, quae tangunt vivum ungulae* 97
53. *De inclavaturis, quae non tangunt tuellum* 98
54. *De inclavatura, quae rumpit coronam* 100
55. *De ficu subtus solam pedis* . ib.
56. *De subbattuto subtus solam pedis* 101
De spontationibus ungularum . . 102
De dessolationibus ungularum et cura 105
De mutationibus ungularum . . . 105
De infirmitatibus naturalibus . . 108

Incurabiles . . . . . Pag. 108
De obliquis cruribus . . . . . ib.
De obliquis ungulis et cura earum 109
De infirmitate muri vel celsi et cura 110
De ceteris glandulis et cura . . . 111
Regulae cognitionum omnium equorum 113
De cognitione claudicationum . . 114
De cognitione morborum 115

BIBLIOTECA
REGIA
MONACENSIS

		ERRATA	CORRIGE
Pag. XXIV	lin. 15	MCCCVII	MDCCCVII
5	15	admodum	ad modum
11	27	cursione	curtiore
23	6	*De ficus*	*De ficu*
26	11	vultus	vulnus
27	13	arundines	hirudines
31	1	admodum vermes	ad modum vermis
81	7	copias	copais

)

G. Häusler's
Buchbinderei
Inh. Max Luber

X II 89